De Syracusarum oppugnatione quaestiones criticae.

Vom

Oberlehrer Paul Schübeler.



Beilage zum Osterprogramm des Reform-Realgymnasiums zu Geestemünde.
Ostern 1910.



Geestemünde
Druck von Otto Remmler.
1910.

1910. Pogr. No. 433.

I.

In Syracusarum oppugnatione describenda quae ratio intercedat inter Polybium et Livium.

Polybius et Livius cum et antiquissimi sint et maxima auctoritate eorum, qui oppugnationem Syracusarum nobis accuratius tradiderunt, primum de ratione, quae intercedat inter eos in hac oppugnatione describenda,[1]) diiudicare velim. Livium enim ipsa verba Polybi secutum esse neque ex ullo alio fonte hausisse si comprobari potest, non opus erit eius rationem habere sed unius Polybi auctoritatem respicere.

Quod si quis dicit, quibus e fontibus scriptor aliquis hauserit, qui accurate examinare ac pertractare velit, ei totum scriptoris opus pertractandum esse, recte illum iudicare equidem haud ignoro. ea vero materia apud Livium tanta est, ut modum huic dissertationi constitutum multo excedat. attamen, praesertim cum singulae partes tertiae decadis singillatim exquiri debeant, si ad unum locum subtilitate atque diligentia quam maxima illustrandum aggressus ero, spero quod voluerim me esse demonstraturum atque ad eam rationem, qua Livius libros suos conscripserit, accurate cognoscendam aliquid allaturum.

Ac profecto Polybius et Livius ita inter se consentiunt, ut dubium non sit, quin inter se cohaereant. quod quomodo fiat, quaeramus.

Ac primum Livium in capitibus illis, quae huc pertinent, Graecum aliquem auctorem secutum esse apparet et ex eius verbis, quorum Graeca forma retinetur, velut »Nasson«, »tropaea«,[2]) et ex genetivo, ut ita dicam, chorographico XXIV 35,3 »ad Pachyni promunturium«, et ex Graecis verbis elocutione circumscriptis vel explicatis. Latini enim scriptoris alicuius verba si reddidisset, vix verisimile est apud Livium ulla sermonis Graeci vestigia remansura fuisse. itaque cum de alio auctore Graeco cogitandum non esse inter omnes constet, aut Livium Polybi ipsius narrationem expressisse aut utrumque ex eodem fonte hausisse necesse est.

Plurimi viri docti Livium his locis Polybio ipso usum esse iudicaverunt:

Nissen, Kritische Untersuchungen zur 4. und 5. Dekade des Livius, p. 84.

Buchholz, Quibus fontibus Plutarchus in vitis Fabii Maximi et Marcelli usus sit, Gryph. 1865, p. 36 ss.

Guilelm. Michael, De ratione, qua Livius in tertia decade opere Polybiano usus sit, Bonn. 1867, p. 25 sq., p. 51 sq.

---

[1]) Agitur de eis tantum partibus, quae et a Polybio et a Livio nobis traditae sunt, Pol. VIII 5—9. VIII 37. Liv. XXIV 33, 1. 3. 9—35, 1. XXV 23, 11. 14—24, 3. 6.

[2]) XXV 24, 8; 30, 9. 12. XXV 29, 6. hos locos ab eodem ac eos, quos supra diximus, auctore pendere mihi videtur certum esse.

A. Müller, De auctoribus rerum a M. Claudio Marcello in Sicilia gestarum, Hal. 1882, p. 13 sq.

H. Hesselbarth, Histor.-krit. Untersuchungen zur 3. Dekade des Liv., Hal. 1889, p. 474 sq., p. 499 sq.

W. Soltau, De fontibus Plutarchi in secundo bello Punico enarrando, Bonn. 1870.

Die Quellen des Liv. im 21. und 22. Buch, 1894. 1896.

Die griech. Quellen in Liv. Buch 23—30, Philolog. LIII 588.

Livius' Quellen in der 3. Dekade, 1894.

Livius' Geschichtswerk, seine Komposition und seine Quellen, 1897.

Weissenborn-Müller in ed. Liv., cf. ad XXIV 5,4.

C. Müller, FHG V p. LX § 1 adnot.

Contra eos Ahrendtius in libro, qui inscribitur »Syrakus im 2. pun. Kriege« I Quellenkritik, Königsberg 1899, ostendere conatus est Livium cum Polybio ob eam causam consentire, quod eodem auctore usi essent. quem auctorem cum Sicularum rerum scriptor aliquis fuerit, Eumachum Neapolitanum esse putat.

Id autem verisimile non est. nam, ut omittam Eumachum illum videri satis ignotum fuisse,[1]) is, qui tantum inter Polybium et Livium consensum eo explicat, quod eundem auctorem secuti sint, quid aliud quam Polybium haec loca plane descripsisse et ad verbum expressisse iudicat? quem eadem ratione, qua ex. gr. Livius eum secutus est, ipsum aliorum verbis usum esse existimare non possumus,[2]) praesertim cum neque Eumachum neque alium eius generis auctorem nominatim proferat.

His igitur praemissis Polybi et Livi verba ita inter se conferre volumus, ut Ahrendti sententia qua ratione quibusque argumentis nitatur singulis locis consideremus.

Ahrendti autem argumentandi rationem, etiamsi ad suam rem idonea est, tamen non licet ita adhibere. primum enim ab eo agitur separatim de eis locis, quibus Polybius et Livius consentiunt, deinde de eis, quibus Livius aliquid omittit, quod apud Polybium invenitur, tum de rerum quae inter eos sit discrepantia, postremo de eis, quae Livius accuratius Polybio narrat. eo modo plane discisso contextu et continuatione narrationis singulisque locis per se consideratis assequitur, ut argumenta vim quandam auctoritatemque habere videantur.

Sed ut omittam Livium non tanta cura aut diligentia, quanta Ahrendtius conicit, auctores suos imitari aut verba eorum vertere solere, eo potissimum eum Polybium ipsum secutum esse demonstratur, quod uterque plane eodem ordine res narrat. quam ob rem non difficile est res ab iis narratas continuare unaque serie inter se conferre. quod si factum erit, Ahrendti plurima deinceps argumenta evanescent. nam semper fere facile ostendi potest, quomodo evenerit, ut Livius hoc vel illud commutaret. ac profecto eo confirmatur sententia nostra, quod creberrime Livius eis locis, ubi Ahrendtius alterum cum altero discrepare vidit, maxime obscurus est vel etiam plane secum ipse pugnat![3]) id vero sine dubio apud Livium quidem non fonti sed ipsi attribuere necesse est. his igitur locis Livium, ut saepissime fit, quae Polybius tradit, quem ante oculos habebat, non satis recte intellexisse plane apparet, id quod postea singillatim demonstrabitur.

[1]) non commemoratur nisi apud Athen. XIII 577 A, et fortasse apud Phlegon., mirab. c. 18; neque quando vixerit, scimus.

[2]) Nunquam enim Polybius verba auctorum secutus est, quod fieri non poterat propter hiatum vitandum, cf. Buettner.-Wobst. Beitr. z. alt. Gesch. V p. 99 s.

[3]) quam ob rem Ahrendtius ipse in libri sui parte II anno 1905 edita plerumque Polybium, non Livium sequi coactus est.

Sed priusquam ad ipsam oppugnationem transeam, nunc eam rerum antea gestarum partem, quae et a Livio et a Polybio nobis servata est,[1]) consideremus, quia non solum eadem ratio quae postea in oppugnatione describenda inter auctores illos videtur intercedere, verum etiam Ahrendtius ex horum quoque capitum collatione nonnulla argumentatus est.

Jam vero id monendum est Livium, cum multo brevius angustiusque res narret, quam Polybius, non solum, quae ei levioris momenti videatur, omittere,[2]) sed etiam, quae est ratio eius scribendi, et narratas res in breviora verba contrahere et hic illic ad exornandam orationem verba inserere, quae Livi esse fere semper facile cognoscitur.

Pol. VII 2 et Liv. XXIV 6. — nunc singula deinceps verba scriptorum persequar. ac primum notandae sunt similes constructiones ἐκχωρήσαντος τοῦ Θράσωνος et „Thrasone sublato".[3]) tum secuntur verba, quae a Livio addita esse apparet „extemplo haud dubie ad defectionem res spectabat", aeque atque antea „quod unum vinculum cum Romanis societatis erat." paulo post respondent inter se verba πρεσβευτὰς πρὸς τὸν Ἀννίβαν πέμψαι et „legatique ad Hannibalem missi", quo loco Livius cum accuratiorem explicationem omittit tum legatorum nomina, quae saepe apud eum desiderantur, cf. Pol. VII 4,1 et Liv. XXIV 6,7; Nissen p. 28; Guil. Michael p. 27.

Tum Livius quamquam gravissimas tantum res ex Polybio excerpit, tamen verbis quidem nonnullis auctorem prodit; cf.

Ἀννίβας δὲ . . . . πάλιν ἀπέπεμπε . . .	ac remissi ab eo
σὺν δὲ τούτοις Ἀννίβαν	cum Hannibale

Hippocratis quidem et Epicydis originem brevius aliisque verbis narrat quam Polybius, sed, quod „materno genere" addit, alius fontis iudicium non est. nam ad consequendam civitatem, quam fratres habuisse et Polybius dicit et ipse verbis „Poeni ipsi" significat, necessarium esse ratus matrem quoque eam habuisse scripsit „Poeni materno genere".[4])

Deinde dicit Livius § 3 „iuncta societas Hannibali ac Syracusano tyranno", quod apud Polybium non invenitur, atque § 7 comperimus ex societate cum Hannibale pacta foedus inter Hieronymum et Carthaginienses factum esse ea conditione, ut Sicilia divideretur. neque tamen de Siciliae divisione Hannibal societatem iungere poterat, sed de auxiliis subsidiisque ex pacto mittendis. Hieronymo autem si de Siciliae divisione convenire volebat, non iungenda societas cum Hannibale, sed Carthaginem ipsam mittendum erat. hoc igitur loco in narratione Liviana aliquid obscuri inesse videmus, quod apud Polybium non invenitur; is enim proprie dicit Hieronymum legatos ad Hannibalem misisse δοὺς ἐντολὰς λαλεῖν ὑπὲρ κοινοπραγίας τοῖς Καρχηδονίοις, i. e. de rebus communiter gerendis. hoc igitur loco non habemus duas traditiones, quae inter se discrepant, sed Livius in vertendo et propter neglegentiam levitatemque et brevitatis effectusque causa libenter pro praeparatis ponit res factas: itaque h. l. dicit „iuncta societas" neque aliter § 7 „convenit", ubi apud Polybium (VII 4, 1. 3. 7) de tractandis tantum conditionibus

---

[1]) Pol. VII 2—4; Liv. XXIV 6.

[2]) itaque, si quid deest apud eum, inde ullum argumentum alienae auctoritatis duci non potest.

[3]) Hoc Livi loco demonstratur verba illa ἐκχωρήσαντος τοῦ Θράσωνος, quibus excerptor ὅτι μετὰ τὴν ἐπιβουλὴν τὴν κατὰ Ἱερωνύμου τοῦ βασιλέως Συρακοσίων anteposuit, sine dubio Polybi esse neque recte iudicare Buettnerum-Wobstium, qui haec quoque tria verba excerptori attribuit.

[4]) Livius enim, si quis in civitatem susceptus esset, et patrem et matrem cives fuisse arbitrabatur: apud Carthaginienses autem in unius patris civitate ius civitatis positum fuisse veri similius est. cf. Meltzer, Gesch. d. Karthager II p. 18 s. cf. Herodot. VII 166 Ἀμίλκας Καρχηδόνιος ἐὼν πρὸς πατρός, μητρόθεν δὲ Συρηκόσιος, qui locus fere concinere videtur cum Livio. non recte igitur verba illa a Livio addita Ahrendtio (p. 38) argumento sunt. voces quoque „nati Carthagine" ad ipsum Polybium referri possunt, cuius gravissima verba πολιτευομένους παρὰ Καρχηδονίοις Ahrendtius plane neglegit. cf. etiam Guil. Michael p. 26.

agitur. quo fit, ut hoc quoque loco apud Livium res minime sit perspicua: qui post factum foedus aliam Hieronymi legationem tradit Carthaginem advenisse, quae, quod mandatum esset, impetravisset (Liv. § 8. 9): quod quomodo fieri potuit, nisi prius foedus antea esset sublatum? id autem non commemoratur.[1])

Quod Livius addit „nec invito Hannibale manserunt", id facile colligere poterat ex eis, quae secuntur, quoniam Hippocrates et Epicydes, de quibus agitur, inde ab hoc tempore Syracusis magna erant auctoritate.

Pro verbis autem ὁ τεταγμένος ἐπὶ Λιλυβαίου στρατηγὸς τῶν Ῥωμαίων dicit Livius: „Appius Claudius praetor, cuius Sicilia provincia erat". Claudi quidem nomen cum Polybi locus corruptus sit, excidisse potest; quin etiam quin exciderit, non est dubium, quoniam in rebus Syracusanis postea factis cum grave est tum a Polybio nominatur. sed τεταγμένος plane respondet verbis „cuius provincia erat"; nisi quod Livius totam provinciam dicit pro capite eius.[2])

Sequitur apud Polybium lacuna.[3])

Deinde quae apud Livium narrantur (§§ 4—6), deprompta esse a Polybio, etsi valde commutata et contracta sunt, satis apertum est, et quia eadem ratione apud utrumque Romani ab Hieronymo repudiantur, et ex singulis rebus aliis, cf. παλινδρομήσαντα πρὸς τὰς Καρχηδονίων ἐλπίδας (§ 8) et „utrum spem sequatur" (§ 5). Livius enim, ut consuevit, ad gloriam populi Romani augendam res oratorie exornavit, quippe qui, ubi homines loquentes facit, ab auctore suo magis quam in simplici narratione recedere soleat. Ahrendtius quidem (p. 30,2) verbis praemissis „Beide Autoren weichen auch in dem Bericht über die erste Gesandtschaft der Römer an Hieronymus fast ganz von einander ab" singillatim discrepantias inquirens tantum abest, ut ironiam tam perspicuam intellegat, ut serio dicat: „Nach Livius XXIV 6, 4—6 werden die Gesandten von Hieronymus nicht ohne Hohn angehört; dieses erwähnt Polybius nicht, er sagt nur, dass das Erscheinen der Gesandten den König mit Ärger erfüllte (ἅτ' ἐν μίσει ὄντων τῶν πρεσβευτῶν VII 3, 2). Nach Livius fragt Hieronymus die Gesandten nach dem Ausgange der Schlacht bei Cannä; nach Polybius weiss der König schon von den Schicksalen der Römer in Italien und spricht den Gesandten sein Bedauern aus, dass es den Römern in den Schlachten (Polyb. VII 3, 2, μάχαις) auf italischem Boden sehr schlecht ergangen sei." verba autem κακοὶ κακῶς (§ 2) et „per iocum" (§ 4) vidisse non videtur. similia in verbis Ahrendti sequentibus inveniuntur, qui ne vocabulo quidem „serio", quod § 6 sequitur, adductus est, ut totius loci ironiam perspiceret.[4])

Quod Livius classem Romanam Pachynum accessisse silentio praetermittit, nullius momenti est.

Pol. 4, 1—2 et Liv. 6, 7 plane inter se consentiunt. proximis paragraphis 8.9 Livius Polybi cap. 4, 4—9 ita reddit, ut rem in brevius contrahat. quod Livius quoque cum Hieronem tum

[1]) Hanc difficultatem postea concessit etiam Ahrendtius, Syrakus im 2. pun. Kr. II. Konitz. 1905, p. 6. sed. cf. part. I pag. 29!

[2]) Lilybaeum tum sedem administrationis Romanae fuisse ostendit Holmius III p. 75.

[3]) Ahrendtius p. 21,3 videtur putavisse, quae Ursinus supplevit, a Polybio tradita esse! — verba VII 3,2 ἐν μίσει ὄντων propter hiatum a Polybio scripta esse non possunt. neque vero quae viri docti coniecerunt, satis placent. equidem existimo descriptorem aliquem rudem propter lacunam, quam § 1 iam ipse invenerat, adiecisse verba εἴτ' ἐν μίσει ὄντων τῶν πρεσβευτῶν εἴτ' ἐν μίσει ὄντων τῶν Καρχηδονίων. nam cum regem Romanis se condolere (συλλυπεῖσθαι) dixisse legeret, id quod sane per ludibrium dictum est, utri Hieronymo displicerent legati, dubitavit. — Propria igitur Polybi verba a voce ἔφη mihi videntur incipere.

[4]) Hoc loco potissimum cognoscas, qua ratione Ahrendtius semper consensum ad verbum fere expressum postulat.

Pyrrhum commemorat, mihi causa est, cur Polybio eum usum esse iudicem: nam cum Polybi sit respicere animumque referre ad res praeteritas, illorum regum mentionem ipsius, non ullius logographi fuisse persuasum habeo.

Praecipue autem notanda sunt bina illa verba ab utroque coniuncta ἀκαταστασίαν καὶ μανίαν (§ 8) et „levitatem ac iactationem animi."

Altera Romanorum legatio, quam Pol. c. 5 tradit, haud scio an a Livio consulto sit omissa, quia nomine Romano non dignum putaverit Hieronymum per deum hominumque fidem obtestari (διαμαρτύρεσθαι).[1]) quam legationem se cognitam habere iam cap. 6, 6 videtur significavisse eis verbis, quae ipse legatos priores dicentes facit: „redituros se ad eum." Livius enim priusquam initium faceret vertendi, quin maiorem eorum, quae descripturus erat, partem legendo percurrerit, vix potest dubitari.

Nunc transeamus ad gravissimum Ahrendti (p. 41 s.) argumentum, cur Livius hoc loco scriptore aliquo rerum Siciliae propriarum, non Polybio usus esse videatur. Livium (XXIV 5) enim Hieronymi mores coloribus describere pinguissimis, Polybium vero (VII 7) impugnare logographos quosdam, qui summo studio id egerint, ut pravitatem atque improbitatem adulescentis illustrarent. „Da nun . . . . Livius eine gleiche Darstellung liefert wie jene (λογόγραφοι, an die Pol. denkt) geboten haben müssen,[2]) so ist doch die Annahme berechtigt, daß Livius jene Spezialhistoriker benutzt hat oder, da Livius meistens einem Autor folgt, einem derselben gefolgt ist." qua una re nisus ad Eumachum suum venit, ex cuius libro Livius hauserit.

Quam in argumentationem primum plane constare dicendum est Polybium et ipsum atque, ut cogitari potest, etiam accuratius quam Livium capite non tradito Hieronymi et initia et tempora regni declaravisse. ibi adulescentuli superbiam insolentiam crudelitatem ab eo quoque clarissime illustratas esse demonstratur cum his locis: 4, 6 διὰ τὸ καὶ φύσει μὲν ἀκατάστατον ὑπάρχειν; § 8 τὴν μὲν οὖν ὅλην ἀκαταστασίαν καὶ μανίαν; 5, 6 εἰς τηλικαύτην ἀστοχίαν ἐνέπεσε; tum illis locis 7, 4 κατὰ δὲ τὸν χρόνον τοῦτον ἕνα μέν τινα καὶ δεύτερον ἐστρεβλῶσθαί καί τινας τῶν φίλων καὶ τῶν ἄλλων Συρακοσίων ἀπεκτάνθαι δυνατόν et § 5 καὶ τῷ μὲν τρόπῳ διαφερόντως εἰκαῖον αὐτὸν γεγονέναι καὶ παράνομον φατέον.[3]) neque igitur celavit Polybius illa mala, sed in eos tantum se convertit, qui principi ὑπερβολὴν παρανομίας καὶ παρηλλαγμένην ἀσέβειαν (§ 4) attribuerunt.[4]) quae ὑπερβολή qualis apud illos logographos fuerit, ipse dicit § 1—2. multis enim verbis multisque vanitatibus monstrosis prodigia, quae dominationis initium praecessissent, et miserias Syracusanorum narraverunt; porro ἐπὶ δὲ πᾶσι τὸ παράλογον καὶ τὸ δεινὸν τῶν περὶ τὴν καταστροφὴν αὐτοῦ συμβάντων, ut nec Phalaris neque Apollodorus nec quisquam alius fuerit peior tyrannus (cf. § 5 fin. οὐ μὴν εἴς γε σύγκρισιν ἀκτέον οὐδενὶ τῶν προειρημένων τυράννων). quibus de rebus omnibus ubi quidquam apud Livium invenitur? qui certe prodigia ipsa, quae quam libentissime narrare solet, non praetermisisset. quae omnia quod desunt apud Livium, neque Hieronymus cum Phalaride aliisque comparatur, id certissimo argumento est, quo comprobetur non posse illum logo-

---

[1]) cf. Guil. Michael. pg. 28. Hesselbarth. p. 475. Niese II 517. contra dicit Ahrendt. p. 28.

[2]) Idem censet Soltau (Philol. LIII 621), qui addit: „Livius selbst 24, 25, 2 verwirft später die Angaben von 24, 5." Minime vero, illius enim loci verba in oratione „tamquam in reos" habita Sopatri attributa sunt, quod Ahrendtius p. 46 recte vidit.

[3]) Quo loco verisimile est Polybium, cum de discrepantibus opinionibus disceptet, Hieronymi morum improbitatem minus reprehendere quam in superiore narratione, quae nobis servata non est.

[4]) cf. Stein, Res Syracusanae inde a morte Hieronis usque ad urbis expugnationem narrantur atque illustrantur. Part. I Neuss 1871. p. 4 adnot. 10.

graphorum illorum quemquam secutum esse. immo vero hoc quoque loco (cap. V) Polybi verba rhetorice ad animos movendos exornata eoque ipso fortasse nimis aucta videtur vertisse.[1])

Quae proximis capitibus Livius de rebus Siciliae narrat, quatenus ex Polybio pendeant, cum abhorreant a re mihi proposita, breviter iam exponam. Liv. XXIV 4—7, 7 sine dubio a Polybio ita petita sunt, ut digressio de Leontinis topographica (cf. Polyb. VII 6) a Livio c. 7, 3, qua est consuetudine, omittatur. etiam Liv. cap. 21—27, 3 Polybiana sunt. Liv. cap. 27, 4—33, 2 Polybi verba quatenus cum aliorum commixta sint, diiudicare non possum. nam etsi classem Romanam in media terra apud Murgantiam collocatam esse (27, 5) mendum Livi esse potest,[2]) tamen et alia, quae difficilia sunt, et quae de diversis locis narrantur, quibus Appius Claudius versatus sit (c. 27, 4 et 5; c. 30, 1; c. 33, 2), ex pluribus fontibus Livium hausisse indicant.[3])

Livi verba 31, 6 „Cretensibus quibusdam ad itinera insidenda missis velut interceptas litteras, quas ipse composuerat“ a Polybio prompta esse mihi videntur (cf. Pol. VII 14a fragmentum), etsi pro „ὡς ἐπὶ λῃστείαν“ exstat „ad itinera insidenda.“ quid enim Hippocratem adduxit, ut itinera insideret? quae inepta, ut apparet, Livi verba non hausta sunt ex ullo alio fonte, sed Livio ipsi attribuenda sunt, qui leviter vertit. —

Inde a cap. 33, 3 non est dubium quin Livius usus sit uno Polybio, cuius ipsius verba nobis servata (Pol. VIII 5—9) cum Liv. c. 33, 9—35, 1 conferri possunt. quod singillatim erit demonstrandum.[4])

Alter enim cum altero plane consentit. iam initio conferas ἀπὸ τῶν Ἑξαπύλων et „ab Hexapylo“.[5]) in verbis καθ' ἣν ἐπ' αὐτῆς κεῖται τῆς κρηπῖδος τὸ τεῖχος παρὰ θάλατταν non intellexit Livius, id quod maximum est, murum in ipsis fundamentis positum fuisse, non in saxis rupibusque, ubi murus cuniculis suffodi non potuisset, sed scripsit: „Achradinae murus fluctu adluitur“;[6]) quod in universum dictum utique falsum est, cum Achradinae murum nisi uno loco ad magnum portum sito in ipso litore collocatum non fuisse ipse viderim: reliqua enim muri

---

[1]) Polybium logographos impugnantem (cap. 7) Livius ex consuetudine sua neglegit. ad hanc rem cf. Guil. Michael. p. 28 s. Hesselbarth. p. 476. quod ad Livi scribendi genus spectat, cf. Ivo Bruns, Die Persönlichkeit in d. Geschichtsschreibung der Alten, qui de Livi et Polybi ratione inter se opposita copiose disputavit.

[2]) fort. pro Megara? cf. Holm. Gesch. Siz. p. 51 et 359.

[3]) cf. praecipue Soltau in Philolog. LIII 618-626.

[4]) Pol. VIII 5, 1 ss. nonnulla mihi liceat praemittere ad Polybi verba recensenda. ac primum § 1 Polybi non esse, sed ab epitomatore ex verbis auctoris, quae antecedunt, breviter esse comprehensam apparet, et quod Appi et Marcelli nomina permutata sunt et propter inusitatam vim verbi ἐπιτροπεύειν et quia Livius eo loco, qui huc pertinet, de copiarum divisione inter duos duces facta nihil dicit, quamquam eam novit, cf. cap. 34, 4. attribuenda sunt Polybio haud dubie verba τῇ μὲν πεζῇ (in. § 2) et quae secuntur, a quo loco Hero quoque incipit. verba autem, quae antecedunt, οὗτοι μὲν δὴ τὴν στρατοπεδείαν ἐβάλοντο μικρὸν ἀποσχόντες τῆς πόλεως, τὰς δὲ προςβολὰς ἔκριναν ποιεῖσθαι equidem ab epitomatore esse puto, quia Polybius sine dubio situm castrorum accuratius significaverat. nam Livius quoque cap. 33, 3 ad Olympium ea fuisse dicit, qui quin ea quae 33, 4—9 de legatione Romana narrat, ex Polybio deprompserit, mihi dubium non est.

Polybi verba cap. 5, 2— cap. 9 fin. Hultschius libris manuscriptis (T, Hero, F, Suidas), qui ex alia quisque antiqua editione derivati sunt, usus plane et accurate restituere potuit. quod eo quoque demonstratur, quod hiatus non inveniuntur. δεῖν (5, 5) enim, quod ante ἀσχολεῖσθαι T tradidit, mihi necessarium esse videtur, quod apud Hultschium verbum eius generis desideratur. Buettner.-Wobstius uncis inclusit „(δεῖν)“.

[5]) adnotationem topographicam κατὰ τὴν σκυτικὴν προςαγορευομένην στοὰν Livius, ut consuevit, omisit.

[6]) cf. etiam c. 34, 4 „Achradinae murum, qui, ut ante dictum est, mari adluitur.“

pars extremae orae rupibus altis imposita erat. illum autem muri locum Polybius verbis καθ'ἣν ἐπ' αὐτῆς κεῖται τῆς κρηπῖδος τὸ τεῖχος παρὰ θάλατταν additis accuratius significat.[1])

Pol. § 3 narrat Romanos magna multitudine hominum, qui opera facerent, speravisse quinque diebus duobus illis muri locis, quos significavit, Syracusanorum apparatus se praeversuros esse (καταταχήσειν certum est). quod Livius non accurate legit. nam ut celeritatem indicet, ipse addit haec: „sicut Leontinos terrore ac primo impetu ceperant, non diffidebant vastam disiectamque spatio urbem parte aliqua se invasuros.“ oppugnationes autem Syracusarum et Leontinorum, quas paulo ante (§ 8) iam contulerat, cum hoc loco ad exornandam narrationem inter se comparet, una in paragrapho dupliciter secum ipse pugnat. primum enim scribit: „parte aliqua“ (scil. urbis, quae vasta disiectaque spatio esset), etiamsi antea Polybio auctore duas illas certas muri partes indicavit; deinde Romanos primo impetu, i. e. operibus antea non factis, in urbem invadere voluisse tradit et tamen statim ita pergit: „omnem apparatum oppugnandarum urbium muris admoverunt.“ commutat igitur impetum vi „ex itinere“ factum, ut saepe apud Caesarem al. invenitur, et oppugnationem praeparatam.[2]) haec quoque Livio ipsi, non ulli auctori attribuenda sunt: addidit autem illa verba „omnem apparatum oppugnandarum

---

[1]) ad rem cf. (Cavallari-Holm) Lupus, Die Stadt Syrakus im Altertum, p. 216; Schubring, Achradina, mus. Rhen. N. F. 20 p. 57 s.; Holm, Gesch. Siz. III p. 54 et 360, qui rem plane non intellegens — videtur editionis Hultschianae prioris contextu nunc nobis inutili usus esse — impetum terra factum apud stoam scyticam fuisse dicit; Weissenborn. ad XXIV 34, 3; Ahrendt. II p. 23.

Holmius (III p. 360), quem Ahrendtius sequitur, in parte Achradinae septentrionali et orientali, quae ubique his temporibus 14—20 m e mari ardue eminet, loca aliquot fuisse opinatur, ubi murus non rupibus iniectus sed infra in ora ipsa exstructus esset; quae loca paullatim mari posse devorata esse. at ipsa fundamenta illius muri fere omnia ita servata sunt, ut in summis rupibus inveniantur. cf. Schubring. (Achradina l. l. p. 55), qui dicit: „Die Felsküste ist hier wie an der ganzen östlichen Seite bis zur Ecke des kleinen Hafens ganz senkrecht abgeschnitten . . . . Es ist unmöglich weder zu landen noch die Höhe zu erklimmen . . . . Die heute noch sichtbare Ummauerung von Achradina . . . . geht auf dem äußersten Rande hart am Abgrunde hin, folgt allen Krümmungen, Vorsprüngen und Einschnitten der Küste, ein Zeugnis, daß der Umriß derselben jetzt genau derselbe ist, wie im Altertum.“

Quare cum in Achradinae septentrionali et orientali parte locus non inveniatur, qui ad illa Polybi verba ἐπ'αὐτῆς τῆς κρηπῖδος παρὰ θάλατταν aptus est — nam portui minori agger praesidio erat, cf. Lupus, die Stadt Syrakus — nulla muri pars Achradinae est, cuius rationem habeamus, nisi ea, quae ad portum magnum sita erat. quae muri pars veterum aetate longior erat quam nos in nostris tabulis topographicis videmus, quia portus magnus multo longius ad septentrionem pertinebat, cf. Lupi pg. 21. omnes tamen viri docti praeter Serradifalconem (Le antichità della Sicilia IV, Palermo, 1840 p. 105), qui nihil nisi hoc dicit „dalle parte di mezzagiorno,“ Marcellum in portu magno aggressum esse negant, etiamsi iustas causas vix habent. Holmius enim si III p. 54 dicit: „Aber da Polyb berichtet, Archimedes habe gegen die feindlichen Schiffe Maschinen aufgestellt je einen Pfeilschuß weit, und die Strecke, wo die Achradina den Hafen berührte, nämlich in der Nähe von Ortygia, nicht viele Pfeilschußlängen hat, so ist doch wohl an die Ostküste der Achradina, an die Küste des offenen Meeres zu denken,“ dignus non est, qui respiciatur, quia Holmius πρὸς ἅπαν ἐμβελὲς διάστημα perperam vertit, cf. infra pg. XI adnot. 2.

Iam intellegimus, cur Romani, quamquam a septentrione, ex Leontinorum oppido, venerant, in meridionali parte urbis, apud Olympium, castra posuerint. quae castra sibi cum stationem navalem tum classi aggredienti subsidio esse volebant. hinc sambucae confectae ad Achradinae murum transvectae sunt; hic in portu aqua turbida non erat, cum ad apertum litus orientale propter mare semper maxime aestuosum omnino fieri non posset, ut sambucae apponerentur. — quae cum ita essent, castra eo loco posita non fuisset commodo, quoniam terra apud Hexapylum a parte septentrionali aggrediebantur Romani, cf. Lupi pg. 215. eodem modo olim res acta est, cum Syracusae ab Atheniensibus obsiderentur.

Ceterum si Silio Italico ulla earum rerum auctoritas esset, eius testimonio uti possemus. nam impetum in portu factum esse dicit versu l. XIV 318 „qua portus muris pacatas applicat undas.“

[2]) cf. Hesselbarth. pag. 477.

urbium muris admoverunt," quia apud Polybium legerat ἑτοιμασάμενοι δὲ γέρρα καὶ βέλη καὶ τἄλλα τὰ πρὸς τὴν πολιορκίαν. qui locus solus sufficit, ut Livium ex Polybio ipso pendere demonstretur.

In iis quae secuntur (Pol. § 3—5; Liv. 34, 1—3) conferas: μία ψυχή et „unicus spectator" („unus homo"). sed quod Livius Archimedis ingenii facultates accuratius describit § 2, quae verba quin Livi ipsius sint dubitari non potest, mihi non videtur mirum esse eum de homine magna laude apud veteres florente illa inseruisse, quae Ahrendtius (p. 38 infra) perperam annumerat eis rebus, „bei denen Livius genauer ist".

Iam vero inter se concinunt Pol. § 4 et Liv. § 3, praecipue πλὴν κατά τινας τόπους ὡρισμένους et „submissa quaedam" etc.

Pol. § 6 omisit Livius, quia terrestrem oppugnationem postea demum videtur voluisse describere (v. cap. 34, 12 „omnisque spes eo versa, ut totis viribus terra adgrederentur"), cum Polybius cap. 9, 1 οἱ δὲ ἐμπεσόντες ἀπέστησαν impetum terra marique simul factum esse narret, id quod uterque initio totius descriptionis (Pol. c. 5, 2 [τὰς δὲ προσβολὰς ἔκριναν ποιεῖσθαι] τῇ μὲν πεζῇ δυνάμει . . . . , τῇ δὲ ναυτικῇ . . . . et Liv. c. 33, 9 „terra marique simul coeptae") docuerat. Livius igitur hoc quoque loco quodammodo secum pugnat.

Liv. c. 34, 4—11 ex Pol. c. 6—c. 8, 4 ita fluxisse, ut singula amputarentur atque in brevius contraherentur, quamquam videtur perspicuum esse, tamen in dubitationem vocatur ab iis potissimum, qui non satis respiciebant Livi vertendi rationem. quam ipsam hoc loco illustrare spero me posse.

Ac primum quae Livius dicit § 6 „hi, quia spatio missilibus opus est, procul muro tenebant naves" ab eo addita sunt, ut, quod omnino gravissimum ei videtur esse, naves non eodem spatio a muro afuisse demonstraret. talia autem saepissime ex se ipso addidit Livius, cf. Guil. Michael p. 35, qui Nisseni p. 23 ss. adfert. ceterum causa, quae continetur verbis „quia spatio missilibus opus est", satis absurda est.

Quod Ahrendtius p. 31, 4 apud Polybium computat duodeseptuaginta naves, apud Livium sexaginta[1]) tantum, plane nullius momenti est propter Livi levitatem.

Etiam in illis verbis „quorum telum ad remittendum inhabile imperitis est" et alii et Ahrendtius p. 39, 2 offenderunt. at id quoque est unum ex additamentis illis Livi. verum sane est, „daß Livius sich beim Niederschreiben dieser Zeilen nicht auf die Stelle des Polybius (VI 22, 4) besonnen und sie aus seinem Gedächtnis aufgezeichnet oder gar die Stelle nachgeschlagen hat." neque enim ea erant Livi, qua fuit conscribendi ratione. sed novisse illum has „hastas velitares," quas Polybius γρόσφους nominare solet quaeque cum spiculum accidendo se inflecteret, „ad remittendum inhabiles" fiebant,[2]) demonstratur Liv. XXVI 4, 4, quo loco de velitibus instituendis agitur: „eis parmae breviores quam equestres et septena iacula quaternos longa pedes data praefixa ferro, quale hastis velitaribus inest."[3]) quod si Ahrendtius Livium haec illo loco, quo primum velites commemoraverit (XXI 55, 11), adnotaturum fuisse monet, quis non intellegit ad illum locum, quia tum in elephantos pugnabatur, verba minime apta esse, atque Livium saepius, quocumque loco ei videtur, eiusmodi res explicare atque inserere?

[1]) recte coniectum est.

[2]) Marquardt, Röm. Staatsverwaltung II p. 343 adnot. 5.

[3]) cf. Weissenborn. adnot. ad hunc locum et Marquardt. II 349 adnot. 4. γρόσφον idem esse quod hastam velitarem mihi certum videtur, quia, quae Polyb. VI 22, 4 et Liv. 26, 4, 4 de eis scribunt, satis consentiunt. de amento quidem, quod ad hastam velitarem deligatum fuisse Weissenbornius ad Liv. XXIV 34, 5 putat, cogitandum non est; quod quoniam praecipue insigne esset, Livius certo commemorasset; et Polybius hastam amentatam nominat μεσάγκυλον, cf. 22, 3, 9. quam ob rem ne in verbo „imperitis" quidem offendimus, quod cum breviter scribere vellet, perperam dixit Livius.

Praeterea si Liv. § 5 dicit: „sagittarii etc. vix quemquam sine volnere consistere in muro patiebantur,“ cum apud Polybium nihil legamus nisi δι' ὧν ἔμελλον τοὺς ἀπὸ τῶν ἐπάλξεων μαχομένους ἀναστέλλειν Livius factas res pro petitis vel praeparatis substituit, cuius rei iam supra p. V. exemplum attulimus.

Nunc venio ad eam rem, quae, cum Livius et Polybius inter se dissentiant, semper gravissimo argumento fuit, v. Ahrendt. p. 32, 6. apud Polybium enim binis quinqueremibus coniunctis sambucae ad murum afferuntur, quae quomodo institutae sint accurate describitur § 3—11; Livius autem has naves „turres contabulatas machinamentaque alia quatiendis muris“ portasse narrat. sed equidem dubium non esse existumo, quin Livius, quoniam totam obsidionis narrationem valde contraxerit — ex quinque enim capitibus Polybianis exsistit paulo plus unum Livi —, sambucas eorumque institutionem consulto omiserit, quia neque longius narrare neque, qua erat levitate, rei minus notae tam diligenter operam dare volebat, ut eam latino sermone recte describere posset. quales apparatus quam difficile ei fuerit recte explicare, ex descriptione ferreae manus § 10. 11 intellegitur, cf. infra pag. XIII.[1])

Quod quam recte disputatum sit, ut planius intellegatur, singula paulo accuratius consideremus. ac primum initio descriptionis illius Livius ipsa Polybi verba paene expressit. naves autem inter se colligatae et sambucae apud Polybium cum separari non possint, fieri non potest, ut Polybius, si ab Eumacho (secundum Ahrendtium) aliove colligatas naves deprompsisset, aliunde pro turribus in naves impositis sambucas sumpturus fuerit. attamen Ahrendtio (et Buchholzio) videtur res ita se habere.

Multo melius omnia intellegemus, si Livi rationem vertendi respexerimus; quae qualis hoc loco fuerit illustremus. primum enim rem secundum Polybium exponere coepit, § 6 „iunctae aliae binae“ etc. deinde cum totam sambucarum descriptionem, quae cum longa esset tum vix contrahi posset, intellegere satis difficile esse videret, eum belli apparatum accurate ac diligenter explorare atque cognoscere veritus breviter eas machinas posuit, quae ei et notae erant (ex Caesaris al. libris) et ad rem quadrare videbantur. quam sententiam veram esse eo quoque comprobatur, quod Livius postea ne commemorat quidem naves suas colligatas quidque illae machinae effecerint. quibus respectis Hesselbarthio (p. 477 adnot. 1) assentior, qui putat Livium descriptione consulto relicta verbis τοῖς πύργοις cap. 7, 1 ad „turres“ suas ductum esse. notanda quidem sunt etiam cum verba illa vaga nec satis definita „machinamentaque alia quatiendis muris,“ quae eodem modo, quo supra c. 33, 9 verba „omnis apparatus oppugnandarum urbium,“ cum „primo impetu,“ quo Romani apud Livium in urbem invadere volunt, discrepant, tum vocabulum „machinamentum,“ quod apud Livium hoc uno loco invenitur, cum ceteris locis omnibus vocabulo „machina“ utatur, quasi verbo minus usitato belli apparatum minus perspicuum significare velit.

Neque igitur mirum est, quod Livius postea sambucas, ubi apud Polybium iterum adferuntur c. 7, 8. 10, omisit, quin etiam c. 8, 5—6 illud a Marcello facete dictum neglexit.

In eis, quae secuntur, § 8—11, optime intellegitur, quomodo Livius auctoris sui verba vertere soleat.

Ex Polybi c. 7, 1—3, qui locus, quod attinet ad veterum rem tormentorum, gravissimus est, videmus magna tormenta ad tela per longiora tantum spatia mittenda idonea fuisse: cum hostis propius accesserat, in eorum locum minora substitui necesse erat.[2]) nam tormenta ad suum

[1]) ne dubitare quidem opus est, quin Livius descriptionem Graecam intellegere potuerit, ut putat Guil. Michael p. 35.

[2]) Holmius in hist. Sic. III p. 54 verba πρὸς ἅπαν ἐμβελὲς διάστημα ita intellexit: Archimedes habe Maschinen aufgestellt „je einen Pfeilschuß weit“, scil. von einander!

quodque spatium instructa erant, κατὰ λόγον ἀεὶ πρὸς τὸ παρὸν ἀπόστημα § 3. apud Livium autem respondent et „naves, quae procul erant," illis Polybi, quae sunt πόρρωθεν ἐπιπλέοντες, et „propiores" iisdem, cum propius accessissent, ita, ut maximorum tela tormentorum super transvolarent. primum pro tormentis saxa vel tela scribit Livius, quia τὰ βέλη tela esse existimabat, cum hoc loco tormenta significent, velut VIII 9, 2; IV 70, 2. deinde qua de causa contra naves, quae propius accesserint, minora tela missa sint, non intellegens explicandi causa dicit „levioribus *eoque magis crebris* telis."

Eodem modo Livius addit verba „ut sui volnere intacti tela in hostem ingererent," ut causam afferat, cur in muris cava facta sint;[1]) apud Polybium autem illae fenestrae exsecantur, ut in eas naves, quae noctu proxime accesserunt et ἐντὸς βέλους, ut ita dicam, „im toten Winkel",[2]) sunt, tela conici possint.

Quas naves nunc demum affert Livius: § 10 „quae propius (etiam) subibant naves, quo interiores ictibus tormentorum essent," quae verba idem significant quod Polybi γενομένων αὐτῶν ἐντὸς βέλους πρὸς τῇ γῇ. quas in naves Livius, cum fenestras apertas esse iam antea dixerit, tollenonem adhibitum esse narrat eamque machinam componit ex duobus illis machinarum generibus, quorum alterum Polybius dicit adversus sambucas, alterum in naves cratibus protectas institutum esse; quo simul fit, ut ei opus non sit sambucarum mentionem facere. videmus igitur et quantopere Livius rationes earumque causas turbet ac confundat et quam neglegenter et sine ulla subtilitate res contrahat, qua ratione diligenter perspecta eum ex alio fonte hausisse concedere non possimus.

Ad hunc locum nonnulla adnotabo. apud Livium Archimedes murum „ab imo ad summum" cavis aperuit, quod inepte excogitatum est ad rem augendam orationemque ornandam. quod si „*cubitalia* fere cava" dicit pro Polybi „τρήματα παλαιστιαῖα", etsi Ahrendtius p. 33, 7 id concedere non vult, sine dubio mendum est Livio attribuendum. nam *cubitalibus* fenestris defensores ab incidentibus telis tectos non esse (quam ob ipsam rem cava instituta esse Livius quidem dicit) iam Guil. Michael p. 36 recte adnotavit. videmus igitur hoc quoque loco Livium stultum in modum a Polybio dissentire.[3])

Polybi vocabulum deminutivum σκορπίδια (§ 6) Livium „scorpiones modicos" (§ 9) vertisse perspicuum est.

Livium autem ex Polybi duobus machinarum generibus (c. 7, 8—11 et c. 8, 1—4) unam fecisse (c. 34, 10—11) supra diximus. etenim „tolleno super murum eminens" ex Polybi „ὄργανα ὑπὲρ τοῦ τείχους ἀνιστάμενα καὶ προπίπτοντα" sumptus est et „ferrea manus," quae ex tollenone dependet, plane respondet „χειρὶ σιδηρᾷ" alterius Polybi machinarum generis. ac profecto multis verbis concinere scriptores ut intellegamus, haec exempla afferam:

χεῖρα σιδηρᾶν ἐξ ἁλύσεως δεδεμένην	ferrea manus firmae catenae inligata
ὅτε δὲ κουφίζων τὴν πρῷραν	suspensa prora
ὀρθὸν ποιήσειε τὸ σκάφος ἐπὶ πρύμναν	navem in puppim statuebat
πλήρη θαλάττης ἐγένετο	aliquantum aquae acciperet
καὶ ταραχῆς	cum ingenti trepidatione nautarum.

atque „grave libramentum plumbi" ex altera Polybi machina videtur sumptum esse, v. § 9 σηκώματα μολίβδινα.[4])

[1]) adfer „ex occulto" § 9 fin.

[2]) Ahrendtius (p. 35) rem omnino non intellegit, cum ἐντός βέλους vertat „in Schußweite".

[3]) idem iudicat Weissenbornius ad. h. l.

[4]) ceterum libramentum plumbi, etsi gravissimum est, nunquam navem sursum moliri potest. etiam haec res inepta est apud Livium.

Deinde Livius cum qualis esset χεὶρ σιδηρά fere intellexisset, etsi haud invitus singula pluribus descripsit, tamen quantas in difficultates incidit, ut eiusmodi machinam verbis exsequeretur! pro vocibus enim „in eas" constructione neglecta paulo post verbum „prorae" ponitur. deinde dicit „recellere ad solum ferream manum", quae foris est, cum altera tollenonis pars „gravi libramento plumbi" deprimatur. eadem ex difficultate eiusmodi machinarum describendarum intellegitur, cur sambucas verbis exsequi noluerit.

Ex tribus autem, quos Polybius affert, modis, quibus naves deciderint, unum commemorat tertium, quippe qui creberrimus esse ab illo dicatur. alios vero modos, i. e. illos a Polybio descriptos, eum ante oculos habuisse, sed rei contrahendae causa omisisse demonstratur verbis „etiamsi recta recideret".[1])

Mihi quidem Polybium, quod ad verba attinet, omnes illas descriptiones tam perspicuas, quae ad artem oppugnandarum urbium pertinent, non aliunde sumpsisse, sed ipsum composuisse persuasum est. quae cum ita sint, dubitari nequit, quin Livius, cum saepissime ad verbum his partibus consentiat, Polybium, neque vero ullum alium auctorem, quo eodem Polybium usum esse Ahrendtius arbitratur, secutus sit.

Iam vero de terrestris impetus initio v. supra p. X.

Etiam quae secuntur Livius a Polybio deprompsit, quam ad rem conferas Pol. 9, 2 διὰ τὸ θαυμάσιον εἶναι τὴν τῶν βελῶν κατασκευὴν καὶ κατὰ τὸ πλῆθος καὶ κατὰ τὴν ἐνέργειαν, ὡς ἂν Ἱέρωνος μὲν χορηγοῦ γεγονότος, ἀρχιτέκτονος δὲ καὶ δημιουργοῦ τῶν ἐπινοημάτων Ἀρχιμήδους et Liv. 34, 13 „sed ea quoque pars eodem omni apparatu tormentorum instructa erat Hieronis inpensis curaque per multos annos, Archimedis unica arte."

Sed quod proximis verbis dicit § 14 propter difficultatem loci terrestrem impetum frustra factum esse, Polybius hoc loco non habet.[2]) sed primum loci naturam atque situm muri plerumque per arduos colles ducti noverat ex Polyb. VIII 5, 4, impr. πρὸς ἣν (scil. τὴν πόλιν) καὶ μηδενὸς κωλύοντος οὐκ ἂν εὐμαρῶς τις δύναιτο πελάσαι, et commemoraverat ipse 34, 3 „pleraque alta et difficilia aditu". deinde verba 9, 3 οἱ μὲν ταῖς διὰ τοῦ τείχους τοξότισιν, ὡς ἐπάνω προεῖπον, κακούμενοι συνεχῶς εἴργοντο τῆς προσόδου, οἱ δὲ μετὰ τῶν γέρρων βιαζόμενοι ταῖς τῶν κατὰ κορυφὴν λίθων καὶ δοκῶν ἐμβολαῖς διεφθείροντο et „non solum missa tormento, sed etiam quae pondere suo provoluta essent, graviter in hostem inciderent" (34, 14) satis consentiunt sententiis, quae inter se opponuntur. tum verbis § 16 „quoniam omnis conatus ludibrio esset" se omisisse indicat ea, quae Polybius singillatim descripsit. cf. etiam Polyb. VIII 8, 5 καὶ θεωρῶν μετὰ . . . χλευασμοῦ τοὺς ἔνδον ἀποτριβομένους αὐτοῦ τὰς ἐπιβολάς. nihil igitur est, cur in hunc locum offendamus cum Ahrendtio (p. 39, 3).

Neque vero differre a Pol. §§ 5. 10 Liv. § 16 perspicuum est (Ahrendt p. 23, 12); idem dici potest de Pol. § 12 et Liv. c. 35, 1.[3])

Iam transeamus ad expugnationem Syracusarum, quam Polybius narrat VIII 37 (Liv. XXV 23. 24). Hic ad Pol. verba nonnulla annotanda sunt.

Primum Heronis verba ἐπιτηρήσαντες οἱ Ῥωμαῖοι καιρόν aut ita aut similiter a Polybio scripta fuisse Livi § 13 verbis „occasio quaerebatur" demonstratur. legebantur autem hoc in

---

[1]) omnia igitur, quae Ahrendtius p. 34, 8 dicit, nullius momenti sunt. qui errat etiam in eo, quod apud Polybium manum machina exsolvi putat, cf. huius diss. partem alteram.

[2]) Ahrendt. p. 39, 3.

[3]) quem locum Ahrendtius p. 23 post num. 12 omittens alio loco p. 29, 2 mirum esse dicit, quod Livius copiarum divisionem non commemoret, quamquam inveniuntur apud Livium verba „cum tertia parte"!

enuntiato, quod ante Μετὰ δέ τινας[1]) amissum est. reliqua vero quae apud Heronem ante vocem αὐτομόλου invenimus, ipsius sunt.

Deinde pro verbo προσαναλαβών, quod Hultschius T secutus praetulit, προσανανεωσάμενος puto scribendum esse; quod apud Polybium fuisse certum esse iudico, quia Suidae lemma est. neque enim excerptor T de „revocando in memoriam" dicere poterat, quia in excerpto suo de numeratis lapidibus nihil narraverat. neque recte Hultschius mihi videtur iudicare vi gromatica Polybium verbo προσαναλαβών usum esse, qui ipse eo loco, quem affert,[2]) Balbum (sub Traiano florentem) primum omnium trianguli rationem ad militarem Romanorum usum transtulisse dicit. quae cum ita sint, excerptori alicui illa verba προςαναλαβὼν ὁ Μάρκος τὸ τεῖχος καθ' ὃ μέρος ἦν ταπεινότερον attribuenda sunt;[3]) Polybius autem scripsit προσανανεωσάμενος τὴν τοῦ τείχους ταπεινότητα.

Ceterum Polybi verba ab Hultschio quam rectissime restituta sunt.

Hoc quoque loco (Pol. VIII 37 Liv. XXV 23, 11—24, 6) auctores maxime consentire statim videmus: quos nonnullis locis inter se discrepare si Ahrendtius p. 36—37 monet, ne ea quidem re sententia eius confirmatur. qui rursus neque id respicit, quod a Livio, ut accurate vertat, postulari non potest, neque commemorat Livium hic quoque saepe perspici non posse, quod non Eumacho vel ali, quem secutus esse dicitur, fieri potest ut attribuatur, sed ipsi Livio, quoniam et leviter vertebat et male intellegebat Polybi verba. comparemus igitur auctorum verba.

Atque fragmentum Pol. VIII 37, 1 cum Liv. XXV 23, 11, deinde Pol. § 2 et Liv. § 14 consentire constat.

Sed Pol. § 3 ss. diligentius explicemus. accuratissime enim Polybius describit, quomodo exercitus instructus et dispositus sit, ut ad murum ascendendum procederet, τὴν ἐξ ἀρχῆς τάξιν § 8. admoventur igitur deinceps ad murum a Marcello

1) qui scalas ferunt (die Pioniere) (τοὺς τούτοις ὑπουργήσοντας καὶ προσοίσαντας κλίμακας § 4 in.; προπέμψας τοὺς ἅμα ταῖς κλίμαξι § 5 in.; ἐπεὶ δὲ οἱ φέροντες τὰς κλίμακας . . . . . προσερείσαντες § 7). quibus praesidio est manipulus cum eius duce (σημαία καὶ χιλίαρχος § 5).

2) qui murum ascendere iussi sunt (die Sturmkolonne) (τοῖς μὲν ἐπιτηδείοις πρὸς τὸν ἀνάβασιν καὶ . . . . πρῶτον κίνδυνον ἐκοινολογεῖτο § 3; ἤγειρε τοὺς πρώτους § 4 fin.; τοὺς πρώτους ἐν διαστήματι κατὰ σημαίαν ἐξαποστέλλει § 5 fin.; οἱ πρὸς τὴν ἀνάβασιν ἀποτεταγμένοι § 7 fin.). fuerunt ad mille milites (εἰς χιλίους § 6)[4]), qui ita missi sunt, ut manipulus manipulum sequeretur.

3) exercitus ipse (das Gros) (πᾶσαν τὴν δύναμιν ἐξεγείρας § 5; μετὰ τῆς ἄλλης στρατιᾶς § 6), qui a Marcello expergefactus procedit paulo post mille illos milites. qui cum murum ascenderint, ordo, quem supra descripsimus, dissolvitur singulique omnes quam celerrime procurrunt.

---

[1]) haec verba nescio an ab excerptore T transeundi causa adiecta sint, fortasse ex priore Polybi loco, ad quem Livi § 8 vox „subinde" pertinet. conferenda sunt Plutarchi vit. Marcelli verba c. XVIII lin. 17/18 ἑορτὴν Ἀρτέμιδι τοὺς Συρακοσίους ἄγοντας καὶ πρὸς οἶνον ὡρμημένους καὶ παιδιὰν παραφυλάξας. fortasse ita scribi opus est collato Livio: ἐπιτηρήσαντες οἱ Ῥωμαῖοι καιρὸν [ἡσυχίαν εἶχον]· μετὰ δέ τινας ἡμέρας αὐτομόλου διασαφήσαντος etc. cf. Zonar. 9, 5, 3 τηρήσας οὖν (ὁ Μάρκελλος) τοὺς Συρακοσίους παννυχίδα τῇ Ἀρτέμιδι ἄγοντας πανδημεί. — verba „sed cum adiri locus, quia ob id ipsum intentius custodiebatur, non posset" Livi ipsius sunt. nam Plutarchus, quem ipsum quoque Polybium sequi infra demonstrabo, c. 18 v. 12 s. dicit πύργον τινὰ κατεσκέψατο φυλαττόμενον μὲν ἀμελῶς. neque id neque illud apud Polyb. legebatur, cf. huius diss. part. alteram.

[2]) Metrol. script. ed. Hultsch. II p. 9.

[3]) eandem sententiam Buettnerus-Wobstius quamquam forma litterarum significat, illa verba recipit in verborum contextum neglecto Suida.

[4]) γενομένων, quod Dindorfius coniecit, magis placet quam ἠνωμένων, quod neque antea neque apud Polyb. invenitur. absurde autem res agitur ab Ahrendtio I p. 25, qui ne apparatu quidem critico recte utitur.

Nunc transeamus ad Livium. qui § 15, quamquam paucos fuisse tribunos militum dicit, quibuscum antea conlocutus esset Marcellus,[1]) tamen hoc ipso loco ad verbum consentit cum Polybio. cf. ἐκοινολογεῖτο et „conlocutus“; τοῖς ἐπιτηδείοις πρὸς . . . τὸν ἐπιφανέστατον . . . . κίνδυνον et „ad rem tantam . . . . . idoneis“; κλιμάκων συντεθεισῶν et „scalis comparatis“. sane mirum est Polybium Marcellum colloquentem fecisse cum mille illis militibus omnibus: neque vero consentaneum est eum verba ita scripsisse, ut nunc legimus, neque etiam Hultschius non offendit his in verbis, quae vix ita composuisse ipsum Polybium adnotat.[2])

Iam vero apud Livium quoque exercitus dividitur in tres partes:

1) „signi unius milites ferre scalas iussit“ § 16.

2) „ad mille fere armati“ § 16. cf. „mille armatorum“ c. 24, 1.

3) „ceterae admotae [sunt copiae]“ c. 24, 1.

sed ex manipulo (σημαία), qui praesidio est eis, qui scalas ferunt, apud Livium manipulus (signum) fit, qui ipse scalas portat.[3]) quod ineptum Livique neglegentiae tribuendum est: nam eam ad rem non fuit opus toto manipulo.

Neque recte iudicat Ahrendtius p. 37, 8. 9. nam et Polybius et Livius narrat, postquam secunda, quam supra diximus, pars exercitus „ordine“ murum ascenderit, molem exercitus vi (κατὰ δύναμιν) ac turbate sequi coepisse; nisi quod eam signo demum antea a primis Romanorum militibus tuba dato processisse Livius tradit.[4]) quod quam parvi momenti sit, eo apparet, quod Livius § 2 verbis „quo per ingentem solitudinem erat perventum, quia . . . . . interfecerunt“ interpositis idem tubae signum iterum commemorat, ut tota haec narratio satis obscura fiat et difficillima intellectu.

Denique brevi mihi liceat comparare Pol. §§ 9—11 et Liv. § 2.[5])

Apud Polybium enim Romani totum murum usque ad Hexapylum a custodibus desertum[6]) inveniunt, quippe qui omnes in turribus ad murum adstructis[7]) vel potent vel dormiant; ita fit, ut deinceps eos milites, qui in singulis turribus neglegenter agebant, custodibus proximarum turrium nihil sentientibus superent, plurimos interficiant, ceteros capiant. neque quisquam effugit.

Nunc venio ad Livium. qui quid dicere velit, ut intellegi quidem possit, Luchsius[8]) voce „custodum“ post „magna pars“ iniecta inter se opponi existimat verba „magna pars custodum“ et „paucos eorum.“ quae si recta essent, Livius de Hexapyli, non de muralibus turribus locutus esset — nam si custodes in turribus fuissent ad murum adstructis, neque Romani „per ingentem solitudinem“ ad Hexapylon pervenissent, neque quod additum est „paucos tamen eorum inproviso

---

[1]) Ahrendt. p. 36, 1. 3.

[2]) De simili colloquio cum tribunis militum habito, quod factum esse vix credibile est, agitur a Livio XXV 14, 2. cf. etiam XXIV 46, 2.

[3]) Ahrendt. p. 36, 5, qui quod illud „tenui agmine“ a Livio § 16 pro Polybi verbis ἐν διαστήματι κατὰ σημαίαν scriptum in suum usum non converterit miror.

[4]) quod signum fieri non potest quin Polybius ipse narraverit eis in verbis, quae finem fragmenti secuta sunt (post τινὰ πυλίδα διεῖλον § 11, nam alia quae exstant δι' ἧς τόν τε στρατηγόν καὶ τὸ λοιπὸν ἐδέξαντο στράτευμα. οὕτω δὴ τὰς Συρακούσας εἷλον Ρωμαῖοι ab excerptore T contracta sunt, cf. Hultsch. ad v. 19—21.

[5]) cf. Ahrendt. p. 37, 10.

[6]) ἐφοδία et hic et loco simillimo, ubi de expugnatione Carthaginis Novae agitur (Pol. X 15, 1 ἐπεπορεύοντο (sic!) κατὰ τὴν ἐφοδίαν), significat ipsam viam muralem (Wallgang), quam vim alibi non habet.

[7]) cf. Lupus, Die Stadt Syrakus im Altertum, p. 52.

[8]) emend. Liv. III 20 sq.

oppressos in cubilibus interfecerunt" posset intellegi —;[1]) illi vero pauci custodes in muro remansissent, cuius in turribus dormivissent, quoniam in ipso muro cubilia esse non poterant.[2])

Neque tamen res ita fuit. nam ut omittam ne tum quidem de „ingenti solitudine" dici potuisse neque „paucos" in muro remansuros fuisse, ut in eius turribus dormirent, certe opus erat Hexapyli a muri turribus dilucide discernere. omnino haec interpretatio, praesertim cum illa tantum coniectura „custodum" efficiatur, maxime est artificiosa. nam si mente integra Livi verba legerimus, turres illas muri esse intellegemus, quippe quas antequam ad Hexapylum pervenissent, Romanos praeterire necesse esset. tum vero, ut supra dixi, quod additum est, „paucos . . . . . . interfecerunt" ad rem nullo modo congruit.

Livius autem si has res, praesertim cum non esset homo militaris, minus dilucide et perspicue narravit, id eo potissimum factum esse equidem existimo, quod hoc quoque loco Polybium ante oculos habuit ac vertere voluit. atque re vera quam multa hic ad verbum versa sunt! velut Livius τὴν ἐφοδίαν ἔρημον εὕρισκον rem, ut saepius, nimis augens vertit „per ingentem solitudinem". deinde cf.

οἱ γὰρ εἰς τοὺς πύργους ἠθροισμένοι διὰ τὴν θυσίαν	quia magna pars in turribus epulati
οἱ μὲν ἀκμὴν ἔπινον	aut sopiti vino erant
οἱ δ'ἐκοιμῶντο πάλαι μεθυσκόμενοι	aut semigraves potabant.

tum pro ἐπιστάντες ἄφνω τοὺς πλείστους αὐτῶν ἀποκτείναντες verba „paucos eorum oppressos interfecerunt" scribit. sed cum, quantopere ea abhorreant ab „ingenti solitudine," animadvertisset, vocem „tamen" addit.

Iam scriptoribus accurate inter se comparatis Livium in oppugnatione Syracusarum enarranda uno auctore Polybio usum esse cognovimus: sequitur, ut ille, quod ad res pertinet, neglegi possit eis quidem in partibus, quae eaedem a Polybio traditae sunt. ceteris autem locis quis non videt Livi fidem atque auctoritatem valde esse imminutam, quin etiam ei in singulis diffidere opus esse?

[1]) Holmi (Gesch. Siz. III p. 59) verba „nur wenige mußten niedergemacht werden" conveniunt nec cum Livio nec cum Polybio, sed ficta sunt.

[2]) id quod Luchsius neglegit, qui dicit: „magna pars" opponuntur ei „pauci", qui suis locis remanserant ibique a Romanis in cubilibus opprimuntur.

II.

In Syracusarum oppugnatione describenda quae ratio intercedat inter Polybium et Plutarchum.

Syracusarum oppugnatio a Plutarcho narrata est Marcelli vitae capp. 13—19.

Ac primum si quis quaerit, num de uno eius libri loco, unde originem habeat, disputare liceat, tota vita accurate examinata id fieri posse mihi persuasum est. nam partes vitae Marcelli alias ab aliis auctoribus depromptas esse ea tabula, quae est in Soltavi libro „de fontibus Plutarchi in secundo bello Punico enarrando" p. 105 sq., videtur esse comprobatum. quam tabulam etiamsi plane rectam esse concedere non possum, tamen rem iterum accuratissime perscrutatus cum Soltavio[1]) prorsus consentio ipsam de Syracusarum oppugnatione narrationem ex Polybio manasse.

F. Leo autem libro de biographia Graecolatina Plutarchum et in aliorum Romanorum et in Marcelli vita ita usum esse aliorum, qui vitas eorum iam antea composuissent, scriptorum libris ostendit, ut, quae ab eis accepisset, eleganter atque artificiose tractaret.[2]) recte igitur: „Die Quellenuntersuchung," inquit „wird durch solche Erkenntnis natürlich nur immer um eine Etappe zurückgeschoben" (p. 176). itaque, ut quid velim recte intellegatur, iam nunc dico hac disputationis parte me quaesiturum esse, ex quibus fontibus hauserit ille vitae Marcelli scriptor nobis ignotus, quem Plutarchus secutus est.

Iam ad singulas res transeamus.

Plut. c. 13 vers. 1—7[3]) consentiunt cum Livio. verba igitur a Polybio profecta esse possunt.

Quae cap. 13 reliqua sunt — agitur de eis qui ex Cannensi clade effugerant — omnia praeter extremam sententiam compluribus apud Livium locis (XXII 58 ss.; XXIII 25, 7; 31, 4—6; XXIV 5 extr. — 7, 4) dissipata inveniuntur. neque vero ignota fuit haec res, cum, quanta Romani fuerint in rebus adversis constantia, usitatum rhetorum exemplum fuisse videatur, neque quae apud Livium XXII 58 ss. et XXIII 25 narrantur, quamquam ad librorum argumenta non multum valent, desunt in Livi periochis, in quibus tales narratiunculas saepius afferri satis constat.

Nullius autem momenti est rem apud Livium inter oppugnationem Syracusarum et expugnationem, apud Plutarchum haud multo post imperium a Marcello susceptum factam esse narrari: is enim cum animi delectationem, non subtilitatem rerum appetat, neglegit temporum ordinem. — Plutarchi igitur c. 13, 7—32 narratiuncula videtur ex Livio excerpta ex collectione quadam exemplorum memorabilium inserta esse.[4])

[1]) cf. p. 19 ss.

[2]) cf. p. 161.

[3]) locos afferam secundum Caroli Sintenis editionem maiorem Lipsiae 1841 editam.

[4]) Polybius enim quin rem iam narraverit dubito. ceterum cf. Soltav., De fontibus Plut., p. 29 s. Hesselbarthius, Untersuchungen zur 3. Dekade des Liv. p. 535, si recte iudicat sententiam extremam (v. 29—32) ex Liv. XXVI 21, 2 permutando ortam esse, quodammodo confirmat, quod supra dixi.

Plut. c. 14, 1—14 cum Liv. XXIV c. 30—33 consentiunt — imprimis respicias ἡβηδόν v. 8 et „puberum" c. 30, 4 —; nihil igitur obstat, ne Polybius auctorem fuisse existimemus. legatos autem a Marcello missos in urbem ipsam pervenire, cum apud Livium extra portam retineantur, Plutarchi levitati tribuendum est, neque vero eo efficitur Polybium eodem modo rem narravisse, quo Plutarchum, Liviumque hoc loco Polybium mutavisse.[1])

Plut. c. 14 v. 14—20 cf. cum Polyb. VIII 5—6, 2. Plutarchum v. 15 a Livio dissentire, cum Polybio consentire videmus. nam quae verba Plutarchus dicit Ἀππίου μὲν τὸν πεζὸν ἐπάγοντος στρατόν, αὐτὸς δὲ (Μάρκελλος) πεντήρεις ἔχων ἑξήκοντα . . . . πλήρεις, paene eadem dicit Polybius VIII 5, 6; Livius autem tota in oppugnatione describenda neque Appium neque eius imperium exercitus terrestris commemorat. sequitur, ut Plutarchus artius cum Polybio coniunctus esse mihi videatur quam cum Livio. accedit, quod verba v. 14—17 cum Polybio prorsus consentiunt, imprimis v. apud utrumque vocabulum πλήρεις, cum apud Livium neque vocem „plenus" neque aliam inveniamus, quae eandem vim habet.

Verbis quae secuntur sambucam in octo navibus inter se iunctis institutam esse Plutarchus narrat; contra apud Polybium (cf. Livium) octo navium binae colligatae sunt.[2]) hoc autem quin rectius sit quam illud nemo dubitabit. sed quod uterque eundem octo navium numerum commemorat, inde conici potest locum illum a Polybio originem habere eiusque verba ita corrupta esse, ut vel Plutarchus vel is, quem secutus est, vocabulum σύνδυο neglegeret.

Plut. 14 v. 20 verba ἧς ἄρα λόγος οὐδεὶς ἦν Ἀρχιμήδει dependere apparet a Polyb. VIII 5, 3 οὐ λογισάμενοι τὴν Ἀρχιμήδους δύναμιν.

c. 15, 4—8 Plutarchus brevem oppugnationem in terra factam praemittit, quam Polybius (et Livius) postea demum c. 9 narrat. quod ad rem attinet, eadem uterque refert, etiamsi eadem verba non invenimus; Plutarchus autem cum rem in universum potius narraverit verbisque velut ὑπέρογκα μεγέθη ῥοίζῳ καὶ τάχει . . . ἀπίστῳ exornaverit, inepte ac stulte dicit ordines (τάξεις) Romanorum muro accedere.

Plut. c. 15 v. 8—28 secundum Polybium compositi sunt. Plutarchus enim Polybi VIII 7, 8—VIII 8, 5 descriptionem ita in suum usum vertit, ut hinc atque illinc ex consiliis rationibusque, quibus Archimedes urbem defendebat, quaedam decerpserit atque, ut rem exornaret, ipse nonnulla adiecerit, quae pleraque inepta esse videbimus.[3])

Primum enim Plutarchus addidit haec: v. 9 (κεραίαι) τὰς μὲν (scil. ναῦς) ὑπὸ βρίθους στηρίζοντες ἄνωθεν ὠθοῦσαι κατέδυον εἰς βυθόν: i. e. tollenones naves desuper sub aquam premunt. sed de machina, quae tam ingenti vi premere possit, cogitari nequit. apud Polybium vero illi tollenones lapides demittunt.

Deinde naves manibus ferreis sublatas περιδινουμένας scopulis afflictas esse Plutarchus narrat. quam inepte! nam si scopuli rupesque ante murum fuissent, eo loco impetus fieri non potuisset.

Postremum dubitari potest, unde sumpserit Plutarchus, quae addidit v. 11 (χερσὶ σιδηραῖς) ἢ στόμασιν εἰκασμένοις γεράνων. iam vero haec γέρανος machina erat veteribus hominibus ex re scenica haud ignota, cf. Poll. IV 130 ἡ δὲ γέρανος μηχάνημά ἐστιν ἐκ μετεώρου καταφερόμενον ἐφ' ἁρπαγῇ σώματος (cf. ad rem Etym. Magn. 228, 2); videmus igitur hanc machinam in spectaculis eadem ratione usui fuisse. itaque verba ἢ στόμασιν εἰκασμένοις γεράνων addita sunt a Plutarcho (vel a vitae scriptore, quem secutus est).

[1]) cf. Niese, Gesch. der gr. u. mak. St. II 527 adnot. 1, qui Livium rem mutasse putat.

[2]) de hac discrepantia vide Ahrendt. p. 51, 6.

[3]) cf. Peter, Die Quellen Plut. in d. Biograph. der Römer 1865 p. 4 s.

Iam igitur cum ex his tribus locis, ut alium, quo usus sit Plutarchus, auctorem cognoscamus, fieri non possit, a Polybio illum dependere eis, quae ad verbum consentiunt, demonstratur, cf. ὑπεραιωρούμεναι κεραῖαι (v. 9) et ὄργανα ἀνιστάμενα καὶ προπίπτοντα ταῖς κεραίαις (Pol. c. 7, 8); κεραῖαι περιαγόμεναι (v. 13) et περιαγόμεναι αἱ κεραῖαι (Pol. § 10); praecipue v. 11 τὰς δὲ χερσὶ σιδηραῖς . . . . . ἀνασπῶσαι πρώραθεν ὀρθὰς ἐπὶ πρύμναν ἀνεβάπτιζον et Pol. 8, 2—3 καθίει χεῖρα σιδηρᾶν . . . . . κουφίζων τὴν πρῷραν ὀρθὸν ποιήσειε τὸ σκάφος ἐπὶ πρύμναν, quo loco Plutarchus ad voces ὀρθὰς ἐπὶ πρύμναν ad verbum transscriptas illud ἀνεβάπτιζον (cf. Pol. § 4 extr. βαπτιζόμενα) inepte adiecit.

Tum v. 19 ss. quid factum sit exponitur ad arcendam sambucam, cuius „σχῆμα" uterque auctor cum instrumento musico comparat. illum vero λίθον δεκατάλαντον ex Polybio (λίθους οὐκ ἐλάττους δέκα ταλάντων c. 7, 9) ortum esse apparet. sed Plutarchus, ut rem exornet, dicit ἐξήλατο λίθος δεκατάλαντος ὁλκὴν εἶτα ἕτερος ἐπὶ τούτῳ καὶ τρίτος. qui lapides αὐτῆς ἐμπεσόντες τῆς μηχανῆς τήν τε βάσιν συνηλόησαν καὶ . . . ., cf. Pol. c. 7, 10, ubi αἱ κεραῖαι . . . . ἠφίεσαν εἰς τὸ κατασκεύασμα τὸν λίθον· ἐξ οὗ συνέβαινε μὴ μόνον αὐτὸ συνθραύεσθαι τοὔργανον, ἀλλὰ καὶ . . . .[1]) qua re Marcellus est ἀπορούμενος (v. 26) vel δυσχρηστούμενος (Pol. § 5).

Eundem fere hoc loco rerum ordinem invenimus apud Plutarchum et Polybium (-Livium). nam ut omittamus c. 15 v. 4—8, ubi ea sunt, quae Polybius postea demum c. 9, 1—4 refert, hoc uno loco, quem nunc contemplemur c. 15, v. 28—c. 16 extr., factum est, ut quae supra omiserat quaeque Polybius iam prius c. 7, 1—7 narravit, insereret.[2]) id vero propterea videtur fecisse, quod variis tormentis, quae missilia per suum quidque spatium emittebant, valde videtur delectatus esse, id quod maxime c. 16, 4—6 demonstratur.

Hoc igitur loco (Plut. c. 15, 28—16 extr.) Plutarchus et Polybius, quod rem attinet, consentiunt neque usquam inter se discrepant. immo hic quoque invenimus, quae ad verbum congruunt, velut ἔτι νυκτός v. 29 et νυκτὸς ἔτι Pol. 7, 4 (ubi recte emendavit Scaligerus); deinde ὑπερπετεῖς v. $^{30}/_{31}$ et ὑπερπετῆ § 3; tum ὁ δ' ἦν . . . . παρεσκευασμένος ὀργάνων τε συμμέτρους πρὸς πᾶν διάστημα κινήσεις v. $^{33}/_{34}$ et ὁ δὲ . . . . παρεσκευασμένος ὄργανα πρὸς ἅπαν . . . . διάστημα (§ 2), qua in re illae κινήσεις machinarum intellegi vix possunt.

Ceterum Plutarchus etiamsi cum alias tum c. 16 rem[3]) ornando amplificavit, tamen eum etiam c. 16, 1—5 Polybi c. 9, 1—5 secutum esse comprobatur consonantibus verbis πετρῶν μὲν ἐκ κεφαλῆς ἐπ' αὐτοὺς φερομένων . . . . . ἀνεχώρουν et Pol. 9, 3 ταῖς τῶν κατὰ κορυφὴν λίθων . . . . ἐμβολαῖς . . . . ἀναχωρήσαντες (§ 5). apud Livium quidem ex omnibus his rebus soli scorpiones inveniuntur. Plutarchus vero etiam cur fenestrae illae instructae essent recte ut Polybius intellexit,[4]) non ut Livius.

Quo capite inserto Plutarchus c. 17 ad Marcelli ἀπόφθεγμα progreditur: eius enim generis verba eum libenter narrationi inseruisse omnes haud ignoramus. quamqam contextus verborum corruptus est, verba ex Pol. c. 8, 6 orta esse tamen facile vides.[5]) at Plutarchus Polybio plura

[1]) iam Sintenis comparat αὐτῆς . . . . τῆς μηχανῆς et αὐτὸ . . . . . τοὔργανον.

[2]) Plutarchum hoc caput postea demum inseruisse eis verbis demonstratur, quae antecedunt ὥστε τὸν Μάρκελλον αὐτόν τε ταῖς ναυσὶν ἀποπλεῖν κατὰ τάχος καὶ τοῖς πεζοῖς ἀναχώρησιν παρεγγυῆσαι, quae scripserat, ut narrationem oppugnationis concluderet. quo eodem factum est, ut consilium (βουλευομένοις δὲ ἔδοξεν αὐτοῖς 15, 28) huc inciderit ex Pol. c. 9, 5 συνεδρεύσαντες μετὰ τῶν χιλιάρχων . . . . . ὁμοθυμαδὸν ἐβουλεύσαντο.

[3]) contra Ahrendt. p. 54, 9 dicendum est Plutarchum quamquam clara ac dilucida rei descriptione Livio praestet, tamen prorsus nihil novi proferre. sane describendi facultate maxime praeditus erat Plutarchus!

[4]) nam quid sibi velit corruptus locus Plut. 15, 35—37, satis apparet.

[5]) cf. Sintenis. ad v. 4. contra dicit Ahrendt. p. 51, 5 et Heyer, Die Quelle des Plut. im Leben des Marcellus, Bartenstein. 1871, p. 14 adnot. hoc ἀπόφθεγμα apud Athenaeum quoque (14 p. 634 b) legimus, qui Polybium affert.

verba facit, quoniam Briareum centimanum adhibet. id vero Plutarchum ipsum, qui quod semper veteres scriptores captabant, elegantem ex fabulis comparationem excogitabat, adiecisse putandum est, praesertim cum Briareum saepius commemoret (amic. mult. 1; 6; def. oracul. 18; tranqu. an. 10).[1]) Livius autem, ut iam supra demonstravi, illud Marcelli facete dictum, quamquam apud Polybium inveniebat, in usum suum non vertit, quia etiam sambucas omiserat.

Quae verba secuntur (c. 17, 6—15), ea Plutarchus ipse exornandi causa adiecit, in quibus illa ψυχὴ μία v. $^8/_9$ ex Pol. c. 5, 3; 9, 7 deprompta est, quam Livius quoque c. 34, 1 („unus homo") reddit. eodem modo v. 15 s. verba ἀπέσχετο μάχης ἁπάσης καὶ προσβολῆς τὸ λοιπὸν ἐπὶ τῷ χρόνῳ τὴν πολιορκίαν θέμενος consonant cum Pol. c. 9, 6 τῶν μὲν ἄλλων στρατηγημάτων ἢ τολμημάτων οὐδενὸς ἀπέστησαν, τοῦ δὲ πολιορκεῖν οὐδέποτε πεῖραν ἔτι λαβεῖν ἐθάρρησαν, cf. Liv. c. 34, 16 „absistere oppugnatione atque obsidendo tantum".

Plut. 18, 1—8 ea quae Liv. c. 35—39 narrat, in pauca verba contraxit. id vero dignum est quod annotetur numerum interfectorum (8000) Hippocratis militum apud eum legi; quem Livius cum non commemoret, huius loci auctor esse nequit; Polybium hoc quoque loco eum fuisse facile comprobatur.[2])

Plut. c. 18, 9—27 verba cum Liv. c. 23, 8—24, 6, quem Polybium sequi scimus, congruunt. ac Plutarchum quoque Polybio usum esse demonstretur his verbis conferendis:

Plut. v. 17.	Pol. VIII 37, 2.
ἑορτὴν Ἀρτέμιδι τοὺς Συρακοσίους ἄγοντας . . . . παραφυλάξας	ἐπιτηρήσαντες οἱ Ῥωμαῖοι καιρὸν . . . . ὅτι θυσίαν ἄγουσι . . . οἱ κατὰ τὴν πόλιν . . . . Ἀρτέμιδι.

His versibus (9—27) omnibus omnia cum narratione Polybio-Liviana conveniunt praeter duas res, quas haud difficile est interpretari.

1) Apud Plutarchum Marcellus ipse muri altitudinem computat: id quod vitarum scriptorum rationi attribuendum est.

2) Quod adhuc omnibus, qui rem tractaverunt, offensioni fuit: turrim a Livio commemoratam — Galeagram Livius eam appellat — in ipso muro urbis sitam fuisse Plutarchus dicit.[3]) eadem turris apud eum videtur prima capta esse, quamquam res neque satis dilucide narratur, quoniam murus ei adiacens ἐπίβατος dicitur, et omnino absurda est, cum in oppugnationibus non turris in muro sita, sed murus ipse ascendi solet. re igitur minus intellecta Plutarchus videtur turrim et murum inter se commutavisse. adiecit idem ad πύργον τινά verba φυλαττόμενον μὲν ἀμελῶς, ἄνδρας δὲ δυνάμενον δέξασθαι κρύφα (v. 12—14), quae et satis absurda sunt neque a Polybio dicta fuisse possunt.[4]) — quod Plutarchus turrim in ipso muro, Polybius (-Livius) autem spatio quodam intermisso ad portum Trogilorum sitam esse dicit, ille, quia huius portus situm ignorabat, in errorem delapsus est.

[1]) neque hoc neque ullum aliud Marcelli ἀπόφθεγμα in collectione Plutarchea apophtegm. regum et imperatorum invenitur.

[2]) qua re Aug. Müller, De auctoribus rerum a M. Claudio Marcello . . gest., diss. Halis 1882, p. 36, quamquam capitum 14—19 plurima a Polybio repetita esse iudicat, Plutarchum hoc loco Coelium secutum esse putet, intellegere non possum.

[3]) cf. Ahrendt. p. 53, 9 extr.; 67 s.

[4]) quae si recte disputata sunt, Livius verba „sed cum adiri locus, quia ob id ipsum intentius custodiebatur, non posset" (XXV 23, 13) ipse addidit, quippe qui, ut rationem afferat alicui rei, saepe verba ipse adiecerit, id quod iam supra compluribus locis observavimus (XXIV 34, 6 „quia spatio missilibus opus est"; § 8 „eoque magis crebris"); nam si Polybius illud dixisset, vix contrarium „φυλαττόμενον μὲν ἀμελῶς" scripsisset Plutarchus. cf. supra part. I pag. XIV adnot.

Deinde etiam quae Plut. 19, 1—23 narratur, consentiunt cum Livio (c. 24, 7—25, 7; 31, 8—11), qui Polybium sequitur. vv. autem 7—11 ad heroem suum excusandum scripsisse Plutarchum apparet. maxima autem perspicua est illa consensio verbis collatis λέγεται . . . . . δακρῦσαι (v. 3—5) et „Marcellus . . . . inlacrimare dicitur" (Liv. c. 24, 11),[1]) deinde τῶν δὲ ἐλευθέρων σωμάτων ἀπεῖπεν ἅψασθαι (v. $^{12}/_{13}$) et „ne quis liberum corpus violaret" (Liv. 25, 7). cf. etiam Plut. v. 19—21 et Liv. c. 31, 11, ubi ille vocabulo ὕστερον pro „tum" scripto sententiam ipsam mutat.

Tum Archimedis mors[2]) (Plut. v. 23—42) apud Livium quoque (c. 31, 9. 10) invenitur. sed Plutarchus tres de morte eius narrationes habet; quarum priores duae rem simplicem, quam Livius narrat, exornant. haec autem capitis pars (Plut. v. 23—42) ex eodem libro, ex quo eae partes, quibus antea de Archimede agitur (c. 14 v. 21—extr.; c. 17, v. 16—extr.),[3]) videtur petita esse.

Videmus igitur nihil obstare, quominus Plutarchus (vel potius vitarum scriptor, quem secutus est,) Polybio ipso usus sit. Ahrendtius tamen Plutarchum omnino usquam Polybium secutum esse negat, quod ut comprobet, p. 50—54 primum quae apud eos inter se repugnent, deinde quibus locis Plutarchus Polybio accuratius res narret, enumerat. sed quae ille profert, partim iam supra refelli, reliqua prorsus nullius momenti esse mihi videntur, velut p. 50, 3, quae verba stultissima sunt: nam si, quae Syracusani defendendi causa parant, Plutarchus multo pluribus versibus narrat quam quae Romani faciunt, id facile eo explicatur, quod et illa de Archimede capita[4]) inseruit et sambucae descriptionem aeque ac Livius omisit.[5]) omnino postulat Ahrendtius, ut iam antea in Polybio et Livio comparandis, ut Plutarchus nimis accurate auctorem suum sequatur; vide quae p. 52, 7 dicit. saepe enim in vitis quaedam Plutarchus ita adicit, ut quasi agatur res atque ante oculos obversetur. id autem minus intellegit Ahrendtius, v. p. 53, 3; 54, 5. 6. 9; al.

Quibus rebus omnibus accurate consideratis Plutarchum eis, qui respiciendi sunt, locis plus usquam afferre quam Polybium concedere nullo modo possum.

Iam ad illa duo capita transeamus, quae supra in Plutarchi verbis cum Polybi (ac Livi) comparandis plane neglexi (c. 14, 27—extr.; c. 17, 16—extr.). quas partes, quibus, ut breviter dicam, de Archimede agitur mathematico, orationi insertas esse eo perspicuum est, quod Plutarchus et abrupte ad eas transit (c. 14, 27 τὴν γὰρ ἀγαπωμένην etc. et c. 17, 16 τηλικοῦτον μέντοι φρόνημα) et, ut redeat ad narrationem (c. 14 extr. et c. 18 in.), sententiam addit. res autem duabus illis partibus tractatas, quarum neque Polybium neque Livium mentionem facere mirum non est, a vita aliqua Archimedis petitas esse iudicare non dubitamus.[6])

Ahrendtius vero p. 76—82 temere magnas ipsius narrationis partes cum his duobus capitibus coniunctas eidem Archimedis vitae attribuit. qua Plutarchum iam inde a verbis

[1]) cf. Ahrendt. p. 60, 6.

[2]) qua de re qui veteres scriptores referant enumerat Niese l. l. 538, 1. 2. 3.

[3]) de iis v. infra.

[4]) quae a Polybio petita non esse apparet. Ahrendtius tamen p. 53, 2 ea annumerat „den Tatsachen, welche Plutarch genauer berichtet als Polybius," quibus Plutarchum a Polybio dependere neget.

[5]) cf. etiam Ahrendt. p. 63, 3.

[6]) auctorem vitae Archimedis nullum novimus nisi Heraclidem (Archim. III. 266, 1 Heiberg.), cuius libro Eutocius usus est sexto p. Chr. n. saeculo. quem Heraclidem amicum esse Archimedis, quem ipse (de lin. spir. 2, 4. 6, 9 Heiberg.) commemoravit, mihi videtur verisimile esse. cf. Heiberg. in indice ad Archimedis scripta composito (vol. III 524); Susemihl, Griech. Litt.-Gesch. I 724 s.; Hultsch. apud Paulyum-Wissowam. quae si ita sunt, it quidem conici potest et omnes Archimedis vitas, quae a veteribus auctoribus scriptae sint, et haec Plutarchi capita ad hoc Heraclidis opus referenda esse.

c. 14, 17 ὑπὲρ δὲ μεγάλου ζεύλματος dicit usum esse, quamquam quin c. 14, 14—20 non minus quam apud Polyb. VIII 5, 6—6, 2 et Liv. XXIV 34, 4—7 continua sit narratio et uno tenore inter se cohaereat dubitari nequit. deinde illi vitae attribuit Ahrendtius etiam c. 14, 21—27, quibus a Plutarcho nihil dicitur, nisi quae in eis quoque partibus leguntur, quae revera ex illa vita manaverunt. in ea autem eadem bis dicta fuisse cogitari non potest. cf. c. 17, 20—22 (τὴν περὶ τὰ μηχανικὰ πραγματείαν καὶ πᾶσαν ὅλως τέχνην χρείας ἐφαπτομένην ἀγεννῆ καὶ βάναυσον ἡγησάμενος); c. 14, 55—57 (ὁ βασιλεὺς (scil. Ἱέρων) . . . . . ἔπεισε τὸν Ἀρχιμήδην); c. 14, 36—40 (ὡς ἀπολλύντας καὶ διαφθείροντας τὸ γεωμετρίας ἀγαθὸν ἀπὸ τῶν ἀσωμάτων καὶ νοητῶν ἀποδιδρασκούσης ἐπὶ τὰ αἰσθητὰ καὶ προσχρωμένης αὖθις αὖ σώματι πολλῆς καὶ φορτικῆς βαναυσουργίας δεομένῳ. verba igitur c. 14, 21—27 ipsius Plutarchi sunt.

Maxime vero mirum est, quod Ahrendtius et tota capita 15, 16 (et c. 17, 1—15) et c. 19. partem (v. 24—31) ad vitam illam Archimedis refert. his vero locis ea omnia continentur, quae Syracusani ad urbem defendendam instituerunt.[1]) sed historicus ille auctor, quo usus est Plutarchus, quisquis fuit, non solum oppugnationem urbis descripsit, verum etiam defensionem, id quod Polybium et Livium fecisse videmus. neque idem animadvertit, quot horum capitum loci, ex parte ad verbum, cum Polybio consentiant, velut verba ὀρθὰς ἐπὶ πρύμναν c. 15, 11/12; πρὸς πᾶν διάστημα v. 34; cf. sambucam, quae cum eadem Polybi machina conferenda est. an Ahrendtius tam amplas partes ex vitae illo scriptore Plutarchum sumpsisse propterea contendit, quod illi loci, quibus Plutarchum cum Polybio consentire supra dixi, repugnant eius sententiae historicum, quem secutus sit Plutarchus, auctorem Jubam fuisse?[2]) sed ne ita quidem, quod sibi proposuit, consecutus est. nam c. 14, 15 dicit Plutarchus (προσβολὰς ἐποιεῖτο . . . . .) Ἀππίου μὲν τὸν πεζὸν ἐπάγοντος στρατόν, αὐτὸς δὲ πεντήρεις ἔχων ἑξήκοντα παντοδαπῶν ὅπλων καὶ βελῶν πλήρεις, quo loco eum cum Polybio consentire, dissentire a Livio iam supra (p. XVIII) dixi. videmus igitur paucis illis locis, quos ad historicum auctorem Ahrendtius refert quorumque argumentum a Polybio quoque traditum est, uno loco Plutarchum et Polybium consonare contra Livium. sequitur, ut Juba, quem in archaeologia conscribenda Livium excerpsisse Ahrendtius putat,[3]) ille historicus Plutarchi auctor fuisse non possit!

Equidem tabulam sic componendam esse censeo:

c. 13, 1—7: e Polybio
7—32 extr.: ex collectione quadam exemplorum memorabilium, v. supra p. XVII.
c. 14, 1—20: e Polybio
21—27: Plutarchus ipse adiecit.
27—60 extr.: ex vita Archimedis (extrema sententia ipsius Plutarchi est).
c. 15, 1—17, 6: e Polybio
c. 17, 6—15: Plutarchus ipse composuit.
15—16: e Polybio
16—47 extr.: ex vita Archimedis.
c. 18, 1—2: Plutarchi ipsius sunt.
3—c. 19, 24: e Polybio.
c. 19, 24—42 extr.: ex vita Archimedis (?).


[1]) Auctori igitur historico praeter quattuor initii versus (c. 14, 14—17) in media oppugnationis narratione attribuit sola verba ἀπέσχετο μάχης ἁπάσης καὶ προσβολῆς τὸ λοιπὸν ἐπὶ τῷ χρόνῳ τὴν πολιορκίαν θέμενος (c. 17, 15—16)!

[2]) Quam in suspicionem facile venit, qui considerat, quomodo in c. 14, 17 descriptionem continuam interrumpat, quidque p. 77, 3 dicat.

[3]) Soltavium secutus.

Hanc autem tabulam ita proposui, ut intellegi velim primum iam ante Plutarchum vitarum quendam scriptorem illos variorum auctorum locos contexuisse, deinde Plutarchum, quae ab aliis petiverit, non fere ad verbum descripsisse, sed artis scribendi causa saepissime vel commutasse vel exornasse vel in brevius contraxisse.

Stemma igitur tale delineare possumus:



Hoc stemma, cui nihil obstat, confirmatur his argumentis:

1) Plutarchus et Livius nunquam Polybio repugnant.

2) Polybius et Plutarchus saepe a Livio discrepant; desunt enim apud Livium haec:
   a) Appius dux exercitus terrestris, v. supra p. XXII;
   b) sambucae omniaque, quae contra eas facta sunt, velut lapides decemtalentarii; itaque etiam illud facete dictum Marcelli (cf. Ahrendt. p. 64, 6);
   c) conatus appropinquandi νυκτὸς ἔτι et quaecumque ad tormenta spectant tela πρὸς ἅπαν διάστημα mittentia. de muri fenestris v. supra p. XIX.

Accedit quod alium fuisse navium numerum Livius dicit, alium Polybius et Plutarchus.

Quae cum ita sint, tantum abest, ut Plutarchus — semper agitur de illis tantum capp. 13—19 — Livio ipso usus sit,[1]) ut Plutarchum prorsus non cohaerere cum Livio confirmari atque contendi possit. nam ut Plutarchum secutum esse putaremus auctorem aliquem, qui et Polybio et Livio usus esset, profecto unum quidem locum inveniremus, quo Livius, cum a Polybio discreparet, ab illo praeferretur.

Iam vero duo auctores commendantur, quos Plutarchus in suum usum converterit, Fabius Pictor[2]) et Posidonius.[3]) quorum de altero operae pretium non est verba facere;[4]) neque vero

[1]) Qua in re nihil interest, utrum secundum priorem huius dissertationis partem Livium Polybio usum esse an utrumque eundem auctorem secutum esse existimem.

[2]) cf. Buchholzi dissertationem, quae inscribitur: „Quibus fontibus Plutarchus in vitis Fabii Maximi et Marcelli usus sit“, Gryphiswaldiae 1865 editam.

[3]) Heyer, Die Quelle des Plutarch im Leben des Marcellus, Bartensteini 1871.

[4]) cf. etiam Ahrendt. p. 68/69.

alter Plutarchi videtur auctor fuisse. laudatur enim Posidonius in una narratiuncula et tribus apophtegmatis vel flosculis, capp. 1. 9. 20. 30, quae in verborum contextum inserta esse apparet. qua ipsa laudandi ratione totam vitam ad Posidonium ferendam non esse demonstratur.[1])

F. Leo autem in libro de biographia Graeco-latina ab universis rationibus profectus Plutarchum vita aliqua Marcelli usum esse docuit, quam artificiose tractavisset. quam vitam Graeco sermone scriptam fuisse eo apparet, quod quomodo fiat, ut Plutarchus tot locis cum Polybio ad verbum consentiat, alio modo explicari non potest. itaque de Nepote cogitari nequit.[2]) eam autem vitam Marcelli quis scripserit, plane incertum est. nos quidem nihil aliud affirmare possumus nisi eum, quae Plutarchi capp. 13—19 continentur, composuisse ex eis scriptis, quorum tabulam proposui supra p. XXII.

Sequitur, ut Plutarchus, quae ad ipsam Syracusarum oppugnationis narrationem spectant, redeat ad unum Polybium. idem in quaestione de Livio supra instituta invenimus. Syracusarum igitur oppugnationis memoria in una Polybi narratione consistit: qui quibus locis rem tradidit, Livius ac Plutarchus prorsus neglegendi sunt; quae desunt apud eum, in eis tantum partibus Livio ac Plutarcho cautissime utendum est ad restituendum Polybium. illi igitur ubicunque inter se consentiunt, Polybianam esse narrationem constat.[3])

Iam expensis Polybi Livi Plutarchi narrationibus nobis videmur firmum Syracusarum oppugnationis describendae posuisse fundamentum.

---

[1]) cf. Peter, Die Quellen Plutarchs in den Biographien der Römer, Halis 1865, p. 77. Soltau, De fontibus Plut. etc. p. 66/67. Ahrendt. p. 69—72. qui A. Mülleri diss. p. 31/32 utitur.

[2]) Soltau in Fleckeis. annal. 1896 p. 123 ss.

[3]) Quibus rebus constitutis et commutanda et corrigenda sunt multa, quae dicta sunt ab Ahrendtio, Syrakus im 2. pun. Kriege p. II, Geschichte der Stadt, 1905.

III.

De aliis Syracusarum oppugnationis auctoribus.

Longe minoris momenti, quod ad Syracusarum oppugnationem nobis describendam pertinet, reliqui auctores sunt, quod aut parva fragmenta operum eorum servata sunt, quae nobis respicienda sunt, aut Syracusarum oppugnatio nisi brevibus verbis ab iis commemorata non est. quare singulos breviter considerare liceat.

A. De Diodoro Siculo.

De Diodori fragmentis (XXVI, 15. 16. 18. 19. 20, 1. 2) iam Ahrendtius dixit, quae dici potest. sed mihi haec adiungere liceat.

Summa eorum, quae Ahrendtius disputat, in eo invenitur, quod, cum Livium et Diodorum — quod recte censet — eundem auctorem secutos esse apertum sit, etiam Diodorum Eumacho (vel Batone) usum esse putat. quae si recta essent, mihi secundum huius dissertationis partem primam putandum esset Polybio Diodorum usum esse; neque quidquam contra hanc sententiam afferri potest.[1])

Etiam Plutarchus cum Diodoro consentit, cf. Tzetzis locum chil. II 131 s.[2]) οὗτος κατὰ Διόδωρον τῆς Συρακούσης ταύτης προδότου πρὸς τὸν Μάρκελλον ἀθρόως γενομένης et Plut. Marc. c. 19 v. 21 καὶ γὰρ τὴν ἄλλην πόλιν οὐ μετὰ πολὺν χρόνον ἁλοῦσαν ἐκ προδοσίας; et praecipue Diodor. XXVI 20 τῶν μὲν ἐλευθέρων ἔφη σωμάτων φείσεσθαι, τὰς δὲ κτήσεις ἁπάσας διαρπάσειν et Plut. c. 19 v. 12 s. ἔδωκεν ἀπὸ χρημάτων καὶ ἀνδραπόδων ὠφελεῖσθαι, τῶν δὲ ἐλευθέρων σωμάτων ἀπεῖπεν ἅψασθαι, cf. Liv. XXV 25, 7 „Marcellus edixit, ne quis liberum corpus violaret: cetera praedae futura". videmus igitur etiam Diodorum et Plutarchum eundem auctorem secutos esse, qui secundum huius dissertationis partem alteram alius fuisse non potest nisi Polybius.

Ceterum nonnulla dicere liceat de Diodori fragm. 20, 2, quod Ahrendtius p. 86 v. 13 omnino neglegit. neque tamen eo loco Diodorus consentit cum Livio, qui XXV 31,15 famem perniciosam vix vitatam esse narrat. sed id eo intellegitur, quod Livius XXV 31, 12 maxime perspicue Polybio, quem usque ad hunc locum secutus erat, e manu deposito aliquem annalium scriptorem in manus sumpsit,[3]) qui illam famem instantem non commemorabat. quo modo hoc Diodori fragmento apparet Syracusanos fame pressos fuisse, id quod Holmius p. 63, qui leviter Livium sequitur, non cognovit.

Archimedis mortem Tzetzes ipse dicit secundum Dionem ac Diodorum se narravisse. cum et apud Livium multas illas res de morte diverso modo a Tzetze narratas nondum inveniamus

[1]) cf. etiam Schwartzi verba, quae apud Paulyum-Wissowam de Diodoro conscripsit.

[2]) is locus ad expugnationem insulae spectat; alter autem locus ex Dione depromptus v. 132—135 ad Tychae expugnationem. Tzetzes enim res commutavit.

[3]) id etiam putat Soltauius, Livius' Geschichtswerk, seine Komposition und seine Quellen.

et Diodorus aliis locis cum Livio consentiat, illae res ad Dionem redire videntur.[1]) etsi Tzetzes plus praebet quam Zonaras, non est, quod putemus Tzetzae verba a Dione non dependere, quoniam Zonaras Dionis verba in brevius contraxit. ceterum si exquirere volumus, quibus ex fontibus scriptores hauserint, Archimedis mortis narrationes respicere vix opus est, cum ea res veteribus hominibus notissima esset et diverso modo saepe narraretur, cf. Valer. Max.

B. De Dione Cassio-Zonara (IX c. 4. 5.).

Plurimi viri docti Dionem eis locis Livio usum esse existimant. et re vera auctorem, quem Dio secutus est, cum Livio arcta, ut ita dicam, propinquitate coniunctum esse statim videmus. neque tamen discrepantiae desunt.

Ac primum cum Polybio contra Livium consentit Dio duobus locis: commemorat enim 1) milites sublatos (Zon. IX 4, 7) — sed is locus corruptus esse videtur ac intellegi non potest, cf. Boissevain. Dion. I p. 233 adnot. ad 3a —; 2) Appi „Pulchri" nomen Zon. IX 4, 9, cf. Polyb. VIII 9, 12 et Liv. XXIV 35, 1, quod minoris momenti est. — praeterea plane non consentiunt cum Livio pugnae Himilconis IX 4, 9.

Cum Livio autem contra Polybium Dio consentit, ubi νῆες καὶ πυργοφόροι admoventur (Zon. IX 4, 7), quae turribus illis contabulatis Livi (XXIV 34, 7) respondent, cum Polybius de sambucis loquatur. apud Plutarchum autem nos Dionis similia invenire per se intellegitur, quia cum Polybio et Livio tam arcte propinquus est.

Schwartzius in Paulyi-Wissowae encyclopaedia toto Dionis opere examinato Dionem aliquos annalium scriptores dicit secutum esse, non Livium, illos autem hic illic Polybiana quoque servavisse. „Dio", inquit, „gibt für die ersten 6 Jahrhunderte der Stadt eine Mischung der Annalistik, die trotz aller Berührungen von Livius unabhängig ist; das ist das Gesamt-Resultat, das als sicher bezeichnet werden darf." quae vir doctus eruit, etiam ad nostrum locum optime quadrant. qua re Dionem hoc loco aliquem annalium scriptorem, qui et Livi simillimus erat et multa Polybi vestigia praebebat, secutum esse ego quoque censeo.

Sed duae horum Zonarae capitum (IX 4. 5) partes excipiendae sunt: primum enim, quae de speculis causticis, deinde quae de Archimedis morte narrat. quae partes ad alium scriptorem redeunt aetate, ut apparet, posteriorem, qui Graecis litteris opus suum conscripsit: quod demonstratur verbis παρ' κεφαλὰν, ἔφη, καὶ μὴ παρὰ γραμμάν.[2]) duae igitur partes cum et narratiuncularum memorabilium speciem praebeant et ad Archimedem pertineant, ex collectione rerum memorabilium Graeco sermone conscripta videntur depromptae esse.

C. De Appiani

ἐκ τῆς Σικελικῆς libr. c. 3. 4.

Haec fragmenta id tantum dici potest cum Liv., qui solus de eisdem rebus refert, XXIV 27—29 et fortasse XXV 26, 3 non consentire. neque haud neglegendum est Tycham proditione captam esse ab Appiano narrari; quod cum apud neminem aliorum auctorum inveniamus, Appianus scriptorem in suum usum videtur vertisse, qui cum nullo alio auctore servato cohaeret.

[1]) ceterum ea, quae Tzetzes de Archimedis morte narrat, a tribus omnibus Plutarchi narrationibus discrepant. consentiunt autem ea, quae Tzetzes v. 107 de navi oneraria ab Archimede promota narrat, cum Plut. c. 14 v. 50.

Ex Dione etiam ea orta sunt, quae Tzetzes de speculis causticis refert, cf. Zon. afferendum est Zon. 14, 3, cf. Dion. Cass. ed. Boissevain. p. 232 ad v. 14b.

[2]) cf. Soltav., Liv. in d. III. Dekade, p. 110 ss.

quem auctorem — unum ex illis annalium scriptoribus, qui res iam maxime depravatas narraverunt, fuisse Schwartzius[1]) putat —, cum Polybi narratio restitui possit, vix ullius momenti esse apparet.

D. De Valerio Maximo.

(III 2 ext. 9 de Harmonia; III 3 ext. 5 de Theodoto torto; IV 1, 4 de Marcello flente; VIII 7 de Archimedis morte).

Unde quattuor res memorabiles, quas Valerius Maximus narrat, originem ducant, difficile est dictu. neque enim ex Livio ulla earum deprompta esse potest nisi tertia (V II, 4, cf. Liv. XXV 24, 11 ss.); sed verba dissimillima sunt. tres autem alias narrationes ad annalium scriptorem redire cogitari possit, quibus scriptoribus Valerius Maximus etiam multis aliis locis usus est.[2]) — Apud quartam autem narrationem plurimum valent verba „noli obsecro istum disturbare". etiam Dio-Zonaras verba praebet, quae respondent, ἀπόστηθι, ἄνθρωπε, ἀπὸ τῆς γραμμῆς; Dio hoc loco Graecum scriptorem secutus est, cf. supra p. XXVI. etiam apud Tzetzem illa verba invenimus Dione auctore. neque autem apud Plutarchum, qui hoc loco vita aliqua Archimedis videtur usus esse (cf. supra p. XXIII), illa verba exstant, neque apud Livium. unum autem primum haec Archimedis verba finxisse necessarium est: eum Graecum scriptorem fuisse sine ullo dubio dicere possumus; fortasse collector erat rerum memorabilium.

Ceterum quattuor his Valeri Maximi narratiunculis, quod ad res exquirendas attinet, nihil tribuendum est, praesertim cum in rhetorum usum praeparatae sunt.

E. De Frontino (III 3, 2).

cf. Liv. XXV 23, 14. Frontinus cum Polybio (VIII 37, 2) et Livio consentit; sed praeterea nomen Sosistrati transfugae appellat, quod apud Livium deest et apud Polybium quoque defuisse videtur. quo igitur ex fonte Frontinus hauserit, dici nequit.

F. De Polyaeno (VIII 11).[3])

Polyaenus maximam partem cum Plut. Marc. c. 17 v. 15 s.; c. 18 v. 9—21; c. 19 v. 8—13 ad verbum congruit. eo apparet hoc loco eum Plutarchum exscripsisse, cf. Melber. in Fleckeis. ann. suppl. XIV (1885) p. 667 s.

G. De nonnullis aliis scriptoribus.

Quae Pausanias VI 12, 4 (cf. Liv. XXIV c. 7. c. 32, 8), Athenaeus VI 59 pg. 251e ex Batonis libro de Hieronymi tyrannide conscripto (FHG IV 349) (cf. Liv. XXIV 5. 21?), idem XIII 37 pg. 577a ex Eumachi libro de rebus Hannibalis conscripto (FHG III 102) de nonnullis rebus ante Syracusarum oppugnationem factis narrant, cum ad rem mihi propositam minus pertineant, neglegere liceat.

Florus I 22, 63 ss., Eutropius III 14, 3, Orosius IV 17, 1, qui nihil novi narrant, ex epitoma Liviana perdita sua hausisse videntur.

H. De Silio Italico.

Silium Italicum, qui libr. XIV 79 usque ad libri finem Syracusarum oppugnationem necnon res antea gestas narrat, imprimis Livium, praeterea autem vix ullum alium secutum esse

[1]) Pauly-Wiss. „Appian".
[2]) cf. Mommsen. in Hermae vol. IV (1870) p. 4 ss.
[3]) quem Ahrendtius neglegit.

ego quoque censeo. cuius rei singula argumenta iam Ahrendtius I p. 106—114 composuit. adicere autem mihi liceat nonnullos locos, qui, quamquam Ahrendtius eos neglexit, tamen, quia Livi simillimi sunt, plurimum valent:

1) Sil. XIV 287 „flammabant vulgum geniti Carthagine fratres, Poeni matre genus" coll. cum Liv. XXIV 6, 2 „Hippocrates et Epicydes, nati Carthagine, ... , Poeni ipsi materno genere."

2) Sil. v. 317 „ubi se propius . . . . tulere" coll. cum Liv. XXIV 34, 10 „quae propius etiam subibant naves." post ea verba apud utrumque describitur, quomodo „manus ferrea" instituta sit.

3) fortasse etiam Sil. v. 687 „populandi cuncta" coll. cum Liv. XXVI 40, 2 „omnia spoliandi".

Sed neglegendum non est apud Silium (v. 322—325) manu illa ferrea etiam homines tolli, quod apud Livium non fit. etiam Polybius VIII 9, 4 necnon Dio-Zonaras IX 4, 7 homines sublatos esse narrant, sed in impetu terra facto. attamen nullo modo putare possum Silium praeter Livium etiam Polybium in manu habuisse, quod Ahrendtius al. existimant.

Quod Silius de Archimede vv. 341—352 narrat, ipse composuisse videtur, partim memoria nisus. ad. v. 351 s. „puppes etiam . . . . . . feminea traxisse ferunt contra ardua dextra" cf. Plut. Marc. 14 v. 47—54 et Tzetz. chil. II 107 s.

Silium vero a Livio dependere etiam demonstratur, primum quod de speculis causticis nihil narrat, quae si cognovisset, non neglexisset, sed splendidis coloribus pinxisset, deinde quod Archimedis mortem non longius exornat eo modo, quo Plutarchus et auctores aetate posteriores.

I. De Tzetze (Chil. II 103—156).

Mea sententia orti sunt vv. 103—108 ex mechanographo quodam,[1]) vv. 109—118 ex Dione, vv. 119—127 ex mechanographo quodam, cf. v. 153, vv. 129—135 ab ipso Tzetze, qui Diodoro et Dione usus est, vv. 136—149 ex Dione, vv. 150—156 a Tzetze mechanographo quodam uso.

Pauca vel nihil fere ex auctoribus tertia huius dissertationis parte tractatis ad exquirendam Syracusarum oppugnationem eruimus. nihil igitur repetere possum, nisi quae partem alteram conficiens dixi, memoriam oppugnationis in uno Polybio consistere. eis autem auctoribus qui a Polybio dependere non videntur, cautissime utendum est.

[1]) haec verba quin ex Dione orta non sint, haud dubium mihi videtur verbis τῇ τρισπάστῳ μηχανῇ χειρὶ λαιᾷ καὶ μόνῃ ἐντεμυριομέδιμνον καθείλκυσεν ὁλκάδα collatis cum Plut. Marc. c. 14 v. 51 ss. ὁλκάδα τριάρμενον πόνῳ μεγάλῳ καὶ χειρὶ πολλῇ νεωλκηθεῖσαν . . . . . ἠρέμα τῇ χειρὶ σείων ἀρχήν τινα πολυσπάστου προσηγάγετο λείως. qui Plutarchi locus vix dubie ex aliqua Archimedis vita depromptus est, cf. supra huius diss. part. II pg. XXII.



ego quoque censeo. cuius rei singula argumenta iam Ahrendtius I p. 106—114 composuit. adicere autem mihi liceat nonnullos locos, qui, quamquam Ahrendtius eos neglexit, tamen, quia Livi simillimi sunt, plurimum valent:

1) Sil. XIV 287 „flammabant vulgum geniti Carthagine fratres, Poeni matre genus" coll. cum Liv. XXIV 6, 2 „Hippocrates et Epicydes, nati Carthagine, ... , Poeni ipsi materno genere."

2) Sil. v. 317 „ubi se propius . . . . tulere" coll. cum Liv. XXIV 34, 10 „quae propius etiam subibant naves." post ea verba apud utrumque describitur, quomodo „manus ferrea" instituta sit.

3) fortasse etiam Sil. v. 687 „populandi cuncta" coll. cum Liv. XXVI 40, 2 „omnia spoliandi".

Sed neglegendum non est apud Silium (v. 322—325) manu illa ferrea etiam homines tolli, quod apud Livium non fit. etiam Polybius VIII 9, 4 necnon Dio-Zonaras IX 4, 7 homines sublatos esse narrant, sed in impetu terra facto. attamen nullo modo putare possum Silium praeter Livium etiam Polybium in manu habuisse, quod Ahrendtius al. existimant.

Quod Silius de Archimede vv. 341—352 narrat, ipse composuisse videtur, partim memoria nisus. ad. v. 351 s. „puppes etiam . . . . . . feminea traxisse ferunt contra ardua dextra" cf. Plut. Marc. 14 v. 47—54 et Tzetz. chil. II 107 s.

Silium vero a Livio dependere etiam demonstratur, primum quod de speculis causticis nihil narrat, quae si cognovisset, non neglexisset, sed splendidis coloribus pinxisset, deinde quod Archimedis mortem non longius exornat eo modo, quo Plutarchus et auctores aetate posteriores.

I. De Tzetze (Chil. II 103—156).

Mea sententia orti sunt vv. 103—108 ex mechanographo quodam,[1]) vv. 109—118 ex Dione, vv. 119—127 ex mechanographo quodam, cf. v. 153, vv. 129—135 ab ipso Tzetze, qui Diodoro et Dione usus est, vv. 136—149 ex Dione, vv. 150—156 a Tzetze mechanographo quodam uso.

Pauca vel nihil fere ex auctoribus tertia huius dissertationis parte tractatis ad exquirendam Syracusarum oppugnationem eruimus. nihil igitur repetere possum, nisi quae partem alteram conficiens dixi, memoriam oppugnationis in uno Polybio consistere. eis autem auctoribus qui a Polybio dependere non videntur, cautissime utendum est.

[1]) haec verba quin ex Dione orta non sint, haud dubium mihi videtur verbis τῇ τρισπάστῳ μηχανῇ χειρὶ λαιᾷ καὶ μόνῃ πεντεμυριομέδιμνον καθείλκυσεν ὁλκάδα collatis cum Plut. Marc. c. 14 v. 51 ss. ὁλκάδα τριάρμενον πόνῳ μεγάλῳ καὶ χειρὶ πολλῇ νεωλκηθεῖσαν . . . . . ἠρέμα τῇ χειρὶ σείων ἀρχήν τινα πολυσπάστου προσηγάγετο λείως. qui Plutarchi locus vix dubie ex aliqua Archimedis vita depromptus est, cf. supra huius diss. par. II pg. XXII.

